LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

ARISTOPHANIS IUDICIUM

DE

SUMMIS SUAE AETATIS TRAGICIS.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ALMA ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOANNES PETERS
ALLENDORPIENSIS GUESTPHALUS.

MONASTERII,

TYPIS THEISSINGIANIS.

MDCCCLVIII.

OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

FRID. THEOPH. WELCKERO

PHIL. DR. LIT. GRAEC. PROF. PUBL. ORD. IN UNIVERS. BONNENS. ACAD.
LIT. BEROL. SOC. ORD. EQUIT. AQUIL. RUBR. II. CL. CUM FROND.
QUERN. ORD. LEG. HON. FRANCOGALL. REL.

PRAECEPTORI OPTIMO

HUNC LIBELLUM QUALISCUNQUE EST

ANIMI MEMORIS AC GRATI TESTEM

CONSECRATUM ESSE

VULT

SCRIPTOR.

Cum ad cognoscendam antiquitatem maxime libris monumentisque ipsis, quae nostram tulerunt aetatem, uti necesse sit — ineptiunt enim, qui antiquos populos se ipsos habuisse cognitos negant — tum ad intellegendam perspiciendamque indolem atque naturam litterarum, quibus Graeci et Romani laudem consecuti sunt perennem nemo pervenire potest, nisi praecepta, leges, sententias, iudicia, quae veteres de illis tulerunt, iterum iterumque respiciat. Quae quamquam satis perspicua sunt, nihilominus, quod ad litteras scriptoresque celeberrimorum antiquitatis populorum attinet, cavendum est, ne testimoniis veterum ipsis, quae ad illos pertinent, in errorem abducaris. Etenim cum veteres, quo tempore litterae maxime floruerunt, libros, qui praecepta legesque singulorum litterarum generum ex artium disciplina doctrinaque petita proponerent, non conscripserint, sed naturam sequentes et divino quodam furore ducti singulis litterarum generibus operam navaverint, facile intellegitur, ex auctorum antiquitatis scriptis iudicium omnibus numeris absolutum neque de singulis litterarum generibus neque de scriptoribus singulis posse duci, quippe cum alius alias leges in recensendis libris secutus sit. Itaque, etiamsi veteres scriptores optimi sunt duces, quorum vestigia prementes artem et disciplinam auctorum antiquitatis summorum cognoscamus, semper tamen inquirendum est, qualis scriptor de alio iudicium exerceat qualesque normas iudicandi sequatur. Accedit, quod etiam tempora magnam vim habent in leges, quas homines, qui de litteris scriptoribusque iudicium ferunt, respiciunt et temporibus mutatis sententiae, quae scriptoribus in conscribendis libris observandae sint, mutantur. Quare etiam temporis, quo quis scriptor de alio iudicium instituit, ratio habenda est maxima. Quae cum ita sint, fortasse non inutile sit, de iudicio, quod Aristophanes summus ille poeta co-

micus de tribus Graecae tragoediae principibus in Ranis tulit, brevem disputationem instituere, cum haec potissimum fabula non minus quam Nubes, fabula illa celeberrima, qua poeta comicus Socratem philosophorum principem perstringit, effecerit, ut multi viri docti perquam inique de Aristophane iudicarint eumque omnibus opprobriis cumulaverint, quorum agmen ducunt [1]) Porsonus, Wielandus, Jacobsius, Valckenarius, Hartungus. Neque tamen iudicium illud recte intellegitur, nisi, quomodo naturae et rationi comoediae maximeque ab Aristophane eique aequalibus poetis comicis Atheniensibus excultae conveniat quamque vim reipublicae conditio et tempora in iudicium Aristophanis exercuerint, inquiratur. Atque quo melius ratio iudicandi sentiendique aetatis Aristophaneae cognoscatur Aristophanesque crisim de tragicis summis instituens rectius intellegatur, quatenus Aristophanes cum aequalium iudicio conspiret vel dissentiat, videbimus. Priusquam autem illud iudicium Aristophanis illustremus, de Ranarum fabulae proposito atque consilio paullulum praemittere, necesse sit, quamquam quin haec res tum demum, cum illas quaestiones, quas pertractandas nobis proposuimus, quoad fieri potest, absolvimus, plane intellegi possit, nemini dubium sit

De Ranarum consilio.

Quamquam multi in indolem et propositum Ranarum inquisiverunt, tamen nemo est, qui interiorem fabulae indolem plane intellexisse videatur. Namque vetus scholiasta, licet verba illius non tam inepta sint, quam sententiae, quas multi post eum professi sunt, consilium fabulae parum perspexit [2]). Post illum Frisch-

---

1) Cf. Porson. praef. ad Eur. Hec. m. l. Wieland: „Attis. Mus. P. II. p. 12, III. p. 82. Jacobs Miscell. III. p. 325. Valcken. Diatr. in Eur. dram. dep. rel. m. l. Hartung.: Eurip. restitut p. I. 130, 238, 380, 476 alib.

2) Verba schol. sunt *ὡς οὖν τὸ δρᾶμα τοῦ Πλούτου* (sc. prioris Pluti) *ὑπὲρ τοῦ τότε ἄρχοντος Ἀθηνῶν ἀσυμφανῶς ξυνετάξατο, κατὰ παντὸς δὲ φιλοσόφου μεταρσιολέσχου καὶ ψευδοτύφου τό δρᾶμα τῶν Νεφελῶν, οὕτω καὶ τήνδε τὴν κωμῳδίαν τῶν Βατράχων κατὰ παντὸς ὑποψύχρου καὶ ὑποξύλου καὶ ἀφυοῦς καὶ ἀτεχνότατα γράφοντος.*

linus hac de re disseruit, qui rerum Graecarum tam ignarum sese praebuit, ut Aristophanem Ranas conscripsisse, quibus Euripidem, qui in Palamede fabula mortem Socratis Atheniensibus crimini dedisset, ulcisceretur dicere non dubitaret [3]), nec felicius in ea re Sam. Petitus versatus est [4]). Cum igitur illorum disputationes nihil ad rem explicandam attulissent, Genellius [5]) sententiam Raoul-Rochettii et Brumoyi amplexus, fabulam esse conscriptam, ut nova Atheniensium reipublicae administrandae ratio rideretur, qua homines viles et obscuri et infimo loco nati, quos comicus eius sententia *βατράχους* significat, non modo iisdem, quibus cives ingenui honestique, honoribus afficerentur, verum etiam iis anteponerentur, statuit, qua quidem sententia nihil perversius excogitari possit, quoniam neque illius rei parabasi excepta certa mentio fit [6]), neque, si poeta illud sibi maxime proposuisset, satis perspiceretur, quid sibi vellet iudicium illud de poetis tragicis. Post illos Bohtzius [7]), qui eandem fere sententiam, quam scholiasta, profitetur, Ranarum indolem non magis assecutus est, quam Thierschius [8]), qui Aristophanem perversam rationem cum Atheniensium tum quinque iudicum theatralium, quam in fabulis aestimandis sequerentur, maxime notare voluisse affirmat. Neque sententiam God. Stallbaumii [9]), Aristophanem de tragicis summis iudicium exercentem, studia, vitia, errores aequalium maxime perstrinxisse, ita, ut vita Atheniensium illo iudicio non minus describeretur, quam poesis tragicorum, omnino comprobaveris, quamquam vir praeclarus suo iure, priorem fabulae partem, ubi Bacchus ad inferos descendit, in qua parte maxime vita et mores Atheniensium perstringuntur, cum posteriore, qua Aristophanes iudicium de tragicis exercet, cohaerere affirmet. Denique Hen-

---

3) Frischlin. disput. de occas. Arist. Ran. (praefix. edit. Arist. Küster).

4) Samuel Petit. Miscell. p. 13.

5) Genelli: Das Theater zu Athen p. 63, 65.

6) Ran. v. 690—696, 720—735.

7) Bohtz. de Ran. Arist. dissert. Gothae 1828 p. 23.

8) Thiersch. proleg. ad Ran. p. XXVI.

9) G. Stallbaum: de persona Euripidis in Ran. Aristoph. (progr. schol.). Lips. 1843, p. 3—5.

nickius, qui novissime de consilio Ranarum disseruit [10]), duxit, comicum hac fabula efficere voluisse, ut Atheniensium consilium Callia auctore [11]), quem eius sententia Bacchus repraesentat, captum, Euripidis mortui fabulas in certamen deferendi ad irritum redigeret eosque ad Aeschyli fabulas immerito neglectas repetendas incitaret. Sed quod putat, Aeschyli tragoedias iam tum theatro excessisse, Euripidis autem fabularum repetendarum Athenienses ante Ranas fabulam actam consilium iniisse, nullis fere rationibus nititur. Quid? quod Aeschylus, qui cum Euripide certare recusat, Baccho ex eo quaerenti, quid sit, cur illud certamen non libenter subeat, respondet. v. 867: (ed. Bergk)

ὅτι ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι,
τούτῳ δὲ συντέθνηκεν, ὥσθ' ἕξει λέγειν.

Ex quo quidem dicto cognoscitur, ab Euripidis morte usque ad id tempus nullam eius tragoediam esse actam. At non ita multo post Ranas fabulam actam Euripidis Iphigenia in Aulide cum Bacchis et Alimaeone ab Euripide nepote celeberrimi tragici acta est [12]) neque tragoedias Euripidis brevi post publico consilio esse repetitas negaverim. Immo vero constat, iam tum, cum Aristophanes Ranas docuit, multos Athenienses tragoedias Euripidis desiderasse. Bacchus enim, qui sententiam pronuntiat ventosae et variae plebis Atheniensium, quam repraesentat, ut Welckerus, vir summus, recte contendisse mihi videtur [13]), ad inferos descendens, unde reducat poetam sibi carissimum, lecta Andromeda sese quam maxime desiderio Euripidis commotum esse libere profitetur. V. 66 seq.

---

10) Hennicke: De Ran Arist. fab. indole atque proposito. Coeslin. 1855 (progr) p. 4 seq.

11) Temere multi interpretes Aristophanis hunc Calliam filium fuisse Hipponici dicunt Athenis quidem sexcenti Calliae fuerunt, sic archontibus ἐπωνύμοις q. v. Ol. 81, 1; 92, 1; 93, 3 secundum Diodorum nomen Calliae fuit.

12) Cf. Boeckh de Graec. trag. princ. p. 211 seq.

13) Welcker Arist. Ran. interpr. Germ. Stallbaum: de persona Bacchi in Ran. Arist 1836 (progr.) Lips.

τοιουτοσὶ τοίνυν με δαρδάπτει πόθος
Εὐριπίδου, καὶ ταῦτα τοῦ τεθνηκότος.
κοὐδείς γε μ' ἂν πείσειεν ἀνθρώπων τὸ μὴ οὐκ
ἐλθεῖν ἐπ' ἐκεῖνον.

Jam cum Atheniensibus nuntiatum esset, Euripidem in Macedonia esse mortuum, omnes fere Athenienses tristitia esse affecti dicuntur. Thom. Mag. in vit. Eur. *φασὶ δὲ ἐπὶ τῷ ἀκούσματι τῆς Εὐριπίδου τελευτῆς τοὺς μὲν Ἀθηναίους πάντας πενθῆσαι. κ. τ. λ.* Adde, quod iam tum multi poetae Euripidem imitati sunt, ut apparet ex versibus illis, qui sunt in Ranis v. 90 seq.

οὔκουν ἕτερ' ἔστ' ἐνταῦθα μειρακύλλια
τραγῳδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μύρια
Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα.

Atque cum etiam Phrynichus eodem die Lenaeorum, quo Aristophanes Ranas docuit, Musas ageret, in qua fabula Euripides et Sophocles et fortasse ipse Aeschylus partes gerebant [14]), veri simile est, Athenienses tum maxime agitasse quaestionem, quis tragicorum princeps esset. Itaque non dubito, quin Aristophanes Ranas conscripserit, ut vitia, quae Euripides in arte tragica commisisset, comprehendens naturam poesis Euripideae Atheniensibus ostenderet eamque ridiculam redderet et spectatores doceret, quomodo illa poesis conspiret cum pernicie rei publicae et corruptis moribus, talique modo Athenienses a poesi Euripidis eiusque asseclarum abalienaret. Indoles igitur artis tragicae Euripideae ut spectatoribus dilucidior fieret, Aristophanes egregie rem sic instituit, ut Euripidi Aeschylum quasi imaginem verae artis tragicae, qui Euripidi, quod ad vitam, mores, poesim attinet, maxime est contrarius, opponeret et cum illo de arte tragica decertantem induceret.

Quae si recte sunt disputata, nemini mirum videbitur, Sophoclem perraro commemorari, quippe qui, cum Euripidi non tam contrarius sit, quam Aeschylus, ad certamen cum Euripide ineundum minus aptus fuerit, ut postea accuratius ostendemus.

---

14) Cf. Meineke: histor. crit. com. Gr. p. 157. Bergk: de reliq. com. Att. p. 377.

Cui consilio Aristophanis optime convenit occasio, quae Ranas fabulam procreavit. Tota enim fabula, ut Ritschelius, V. D. summo iure contendit [15]), morte Sophoclis tamquam fundamento nititur et in magno errore versari videntur Fr. Ritterus et Rankius, V. D. qui Aristophanem non demum post mortem Sophoclis ad hanc comoediam conscribendam esse aggressum, sed cum vel totam vel magnam eius partem absolvisset, paucos illos de Sophocle versus (v. 76—82; 787 – 794) adiecisse opinantur [16]). Fabula enim tanquam fundamento careret, nisi mortem Sophoclis occasionem huius comoediae componendae praebuisse pro certo ducimus. Quod etiam Bacchus Aristophanis satis comprobat, qui ad inferos descendit, unde bonum poetam reducat, cum ne unus quidem poeta, cuius fabulae agantur dignus, et cui plus quam semel tragoediam in scenam inducere liceat, superstes sit [17]). Ait enim v. 92 seq. de poetis vivis:

ἐπιφυλλίδες ταῦτ'ἐστὶ καὶ στωμύλματα,
χελιδόνων μουσεῖα, λωβηταὶ τέχνης,
ἃ φροῦδα θᾶττον, ἢν μόνον χορὸν λάβῃ,
ἅπαξ προσουρήσαντα τῇ Τραγῳδίᾳ·
γόνιμον δὲ ποιητὴν ἂν οὐχ εὕροις ἔτι
ζητῶν ἂν, ὅστις ῥῆμα γενναῖον λάκοι.

Viri illi docti, qui fabulam Sophoclis morte procreatam esse negent, sententiam suam eo probare volunt, quod mors et Euripidis et Sophoclis [18]) ad Ol. 93, 3 referatur et Sophocles mense Posideone Dionysiis ruralibus mortuus sit, ita ut, si Aristophanes post Sophoclis demum mortem Ranas conscripserit, tempus fabulae conscribendae nimis coarctatum sit. Attamen Sophoclem Choibus diem supremum obiisse Satyrus non malus ille auctor et Istros et Neanthes referunt [19]). Choes autem, alter

15) Cf. Ritschl: De Agathonis vita etc. part. I. p. 15.

16) Cf. Fr. Ritter: Didymi opusc. p. 117. F. Ranke: Aristoph. Vita. P. I. p. CCLXXII.

17) Cf. v. 71. Διο. δέομαι ποιητοῦ δεξίου,
οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ'ὄντες κακοί.

18) Cf. Diod. XIII., 103. Boeckh de Graec. trag. princ. p. 209 seq. Ritschl l. l. p. 16. Ritter l. l. p. 117.

19) Cf. vit. Sophocl.

dies festus Anthesteriorum, celebrabantur die duodecimo mensis Anthesterionis [20]), qui erat mensis octavus anni et Gamelionem, pristinum illum Lenaeonem, ad quem Lenaea, quibus Ranae fabula acta est, sunt referenda, sequebatur. Quo fit, ut mors Sophoclis anno alteri Ol. 93 tribuenda sit. Neque haec sententia labefactatur, si quis scriptores illos Choes cum Dionysiis ruralibus s. parvis, quae in Posideonem, sextum mensem anni Olympiaci s. duodecimum antiqui anni Attici incidebant, commutasse opinetur, quoniam etiam tum tempus Ranarum fabulae conscribendae nimis coarctatur, ex qua difficultate non expedimur, si annum tertium Ol. 93 annum fuisse intercalarem, utpote octavum in altero cyclo canonis, q. v. Metonis, ducimus, ita ut dimidia pars Posideonis prioris et integer Posideon posterior et initium Gamelionis inter Sophoclis mortem et Ranarum editionem intercesserint [21]). Namque non est dubium, quin Athenienses cyclum illum Metonis *ἐννεακαιδεκάτην*, quem Diodoro teste (XII., 36) Meto Ol. 86, 4 invenit [22]), tum publico consilio nondum receperint, cum Athenienses, quod ad tales res attinet ab antiquo usu et consuetudine non facile discesserint, quare cyclum illum Callippi annorum septuaginta sex nunquam in publicum usum receperunt; neque multo ante aetatem Alexandri Magni Athenienses cyclo illo Metonico publico consilio esse usi videntur. Atque etiamsi annum tertium Ol. 93 annum fuisse interca-

---

20) Cf. Boeckh: Ueber den Unterschied der Lenäen, Anthesterien und ländlich. Dionysien in act. acad litt. Berol. a 1816—17. Quamquam Anthesteriis tragoediae non sunt actae, tamen dithyrambis Athenienses illis diebus festis esse delectatos constat. Etiam partes tragoediarum maximeque carmina lyrica illarum praelecta fuisse, incredibile non est. Quamobrem perquam probabile videtur, Sophoclem parte tragoediae alicuius lecta subito mortuum esse, ut memoriae traditum est. Cf. Boeckh l. l. p. 97 seq. Hanov. Exerc. crit. I., p. 72. Quae Fritzschius, V. D. in commentatione de Lenaeis (ind. lect. Rostock. 1834) contra Boeckhium, virum summum, disputat, Lenaea primum cum Anthesteriis convenisse, deinceps autem fastis turbatis ex Anthesterione in Posideonem esse translata, non facile cuipiam persuaserit. Jam repugnant Ranae (cf. v. 215 seq.).

21) Cf. F. Schultz vita Sophocl. p. 153.

22) Ideler: Handbuch der math. Chronol. p. 314 seq.

larem concedamus. Sophocles tamen Dionysiis ruralibus eiusdem anni non est mortuus, quoniam ne infra duos menses quidem talis fabula, qualis est Ranae, conscribi et doceri potuit [23]). Itaque nihil restat, nisi ut Sophoclem Ol. 93, 2 mense Anthesterione paulo post Euripidem, qui in Macedonia mortem occubuit mortuum esse statuamus, praesertim cum iam auctor marmoris Parii Euripidis mortem ad Ol. 93, 2 archonte Antigene referat [24]). Quid autem Aristophanes ingeniosius excogitare potuit, quam tum, cum morte Euripidis et Sophoclis tragoedia quasi parentibus orbata est, ea, quae comico maxime visa sunt vituperanda in fabulis Euripidis, quem poetam, dum vivus erat, in multis fabulis, veluti in Autolyco, Erechtheo, Polyido, Phoenissis, Acharnensibus, Nubibus, Thesmophoriazusis, Pace, vehementer irriserat, in unum quasi centrum cogere, ut eo non solum Euripidem sed etiam amicos ei Athenienses maximeque illos, qui eum imitabantur, omnesque novos poetas, inter quos etiam poetae dithyrambici recentiores illius aetatis fuerunt [25]) rideret et in Euripidem causam omnium malorum, quae in priore fabulae parte, ubi Bacchus lecta Andromeda motus ad inferos descendit, unde Euripidem reducat, ridentur, deferret. —

Hisce praemissis ad exponendum iudicium, quod comicorum princeps de celeberrimis illis tragicis fert, aggredimur.

---

23) Boeckh l. l. p. 104. Ritschl l. l. p. 13. Quam rem temere impugnant Rankius l. l. p. 271 et Wagnerus in Quaest. de Ran Arist. Spec. I. (Vratisl 1846) init. Nam quod Pacem paullis diebus, antequam acta sit, esse conscriptam (Ol. 89, 3) dicunt, hoc nulla quidem re comprobatur. Et quantum distat Pax a Ranis! Cratinus vel gloriatur, sese vix duobus annis Chirones confecisse, dicens (ap. Aristid. 49, T. II, p. 521 Dind.): ταῦτα δυοῖν ἐν ἐτοῖν ἡμῖν μόλις ἐξεπονήθη. Bergk de reliq com. Att. p. 219 seq.

24) Cf. Boeckh l. l. p. 97 annot. 120. Corp. Insc. II. p. 342.

25) Suo quidem iure Meyerus in commentat. I de Arist. Ran. (ind. lect. Hal 1836) p. 9 contendit, quorumdam poetarum vanam et ridiculam garrulitatem et obscuram orationem cantu Ranarum (v. 210 seq) rideri, quem cantum ex variis variorum dithyramborum et tragicorum et ex Euripidis potissimum carminibus esse sumptum, satis apparet. Errant autem Brumoyius et B. Thierschius, quorum ille poetas omnes tragicos, hic Euripidem Ranarum coryphaeum illo cantu maxime rideri putat.

Caput I.

Iudicium Aristophanis de tragicis exponitur.

Poeta comicus Aeschylnm summa effert laude maximeque eam ob causam, quod fabulae Aeschyleae homines ad virtutes bonosque mores reducere possint. Etenim non modo chorus, qui ex mystis constat et sententiam poetae pronuntiat, a partibus Aeschyli est, sed etiam Bacchus mores varios et mutabiles lepidissimi cuiusque Atheniensis prae se ferens, qnamquam Euripidem ex inferis repetiturus est, Aeschylo multas tribuit laudes. Maximi autem momenti est, quod ipse Euripides, in adversarium acerbissime invehens, invitus Aeschylum magis laudat, quam vituperat et iis, propter quae Aeschylum et poesim eius reprehendit, se ipsum ridiculum sophistam, qui singulis quidem operam navet, totius autem artis tragicae paene ignarus sit, praebet sibique ipsi litem intendit. Quae Aristophani in Aeschyleis fabulis vituperanda videntur, lenissime notantur. — Aeschylus comico imago virtutis illorum est, qui ad Marathonem pugnarunt (*τῶν Μαραθωνομαχῶν*). Inducit eum alto excelsoque animo et summa severitate ac gravitate praeditum. Garrulitati Euripidis divinum opponit silentium [26]), cum aemulum vix dignum, cui respondeat, putet. Tantum abest, ut laudem multitudinis appetat, ut vulgi nullam omnino rationem habeat. Ne Atheniensibus quidem de praeclaris poetis iudicandi esse facultatem, iudicat [27]); nec libenter cum Euripide certamen init, cum suam poesim esse immortalem, illam autem Euripidis morte deletam ducat [28]).

---

26) Ran v. 804 seq. (ed. Bergk).

27) v. 807: *οὔτε γὰρ Ἀθηναίοισι συνέβαιν' Αἰσχύλος.*

28) v. 867: *ὅτι ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι,*
τούτῳ δὲ συντέθνηκεν, ὥσθ' ἕξει λέγειν.

Egregie poeta lusit in verbo *συντέθνηκεν*, quod est: simul ad inferos venit, et: simul morte deleta est. Cf Hermann ad Soph. Phil. v. 1429.

Et in singulis verbis et in tota arte tragica gravitas eius cernitur. Summa dicendi dignitate et gravitate utitur, quasi tonans in adversarium invehitur (*ἐριβρεμέτας*, v. 814); verbis gravissimis quasi fluviis[29]), turgidis (v. 818: *ὑψιλόφοις λόγοις*[30]), *ῥήμασι ἱπποβάμοσιν*), strepitum ac fragorem edentibus et tamquam clavis affictis (v. 824: *ῥήματα γομφοπαγῆ, πιναχηδὸν ἀποσπῶν γηγενεῖ φυσήματι*) interdum nimis duris, sed quae moribus Aeschyli conveniant, fabulas suas ornat[31]). Talibus igitur verbis quasi truncis e terra evulsis, ubi cum iis irruit, dissipat adversarios[32]). Quam obrem chorus Aeschylum laudat, quod primus tragoediam ad summum dignitatis gradum perduxerit, v. 1004:

ἀλλ' ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σέμνα
καὶ κοσμήσας τραγικὸν λῆρον, θαῤῥῶν τὸν κρουνὸν ἀφίει[33]).

Quamquam saepe iustum modum excedit, quamobrem Euripides tragoediam Aeschyli magnitudine inani vastam dicit v. 940: *οἰδοῦσαν ὑπὸ κομπασμάτων καὶ ῥημάτων ἐπαχθῶν.* Notat eum, quod non dicat, ut hominem deceat, sed tam immanibus vocibus utatur, ut tauri esse videantur[34]) (v. 924: *ῥήματ' ἂν βόεια δώδεκ' εἶπεν, ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους*),

---

29) V. 881 Aeschyli verba dicuntur *ῥήματ' ἐπῶν*, puto, legendum esse *ῥεύματ' ἐπῶν.*

30) Lectio *ὑψιλόφων* praeferenda est alteri *ἱππολόφων.*

31) Egregie poeta v. 815—24 Aeschyli gravitatem et Euripidis subtilitatem describit.

32) V. 903 seq: (*προσδοκᾶν οὖν εἰκός ἐστι*)
τὸν δ' ἀνασπῶντ' (sc. *Αἰσχύλον*) *αὐτοπρέμνοις τοῖς λόγοισιν*
ἐμπεσόντα συσκεδᾶν πολλὰς ἀλινδήθρας ἐπῶν.

33) Aristophanem sequitur Antipater Anthol. III., 25; 28. Dioscor. Epigr. VII., 411.

34) Ex sententia illorum qui Aeschylum parum intelligunt, Euripides dicit v. 835 seq.: *ἐγᾦδα τοῦτον καὶ διέσκεμμα πάλαι*
ἄνθρωπον ἀγριοποιόν, αὐθαδόστομον
ἔχοντ' ἀχάλινον ἀκρατὲς ἀπύλωτον στόμα
ἀπεριλάλητον κομποφακελοῤῥήμονα.

quae a spectatoribus non intellecta iis terrorem iniiciant; ridet Aeschylum, quod utatur compositionibus verborum translationibusque iusto audacioribus (v. 925: *δείν' ἄττα μορμορωπά, ἄγνωτα τοῖς θεωμένοις*) et apparatum scenicum, quem, quid sibi velit, nemo intellegat, adhibere soleat [35]. Jam animus bellicosus et ingenium Aeschyli, qui semper magnum et grave sequitur, elucescunt ex nominandis fluminibus et montibus.

Cum Aeschylus sententia comici maxime gravitati heroum, quos inducit, prospiciat, a garrulitate personarum Euripidearum personae Aeschyli tam alienae sunt, ut vel iusto minus loquantur. Quamobrem Euripides adversario dat vitio, quod diverbia nimis brevia sint et chori supra modum extendantur [36]. Quamquam comicus pro suo consilio Euripidem, qui rerum sublimium non sit capax, illud reprehendentem facit, quo spectatores summa Aeschyli admiratione affici necesse fuit, quare ipse Bacchus Aeschylum defendit [37]. Euripides enim divinum silentium Niobae, quae prae dolore ob liberos ira Veneris interfectos ad diem tertium usque velato capite taciturna ad sepulturam liberorum

---

35) Cf. v. 928 seq.: *ἀλλ' ἢ Σκαμάνδρους ἢ τάφρους ἢ 'π' ἀσπίδων ἐπόντας*
γρυπαιέτους χαλκηλάτους καὶ ῥήμαθ' ἱππόκρημνα,
ἃ ξυμβαλεῖν οὐ ῥᾴδι' ἦν.

Cf. v. 938—943. 963 seq. Welcker Griech. Trag. I., p. 361. In fabulis Aeschyleis multa vestigia insignium populorum Asiaticorum reperiuntur, veluti signa igne data, quibus Agamemnon uxorem de Troia expugnata (Agam. init.) certiorem facit. Herod. IX, 3; Wessel. in Diod. XIX, 57. Pollux IV., 127. Pollux IV., 127, 129. Stragulis etiam tapetisque magnificis (v. 938 seq.) illi populi magis utuntur, quam Graeci, sicut variae illae figurae ineptae, ut *τραγέλαφος, γρυπαίετος, ἱππαλεκτρύων*, quarum usum Euripides Aeschylo obiicit, illorum sunt.

36) V. 915: *ὁ δὲ χορός γ' ἤρειδεν ὁρμάθους ἂν*
μελῶν ἐφεξῆς τέτταρας ξυνεχῶς ἄν· οἱ δ' ἐσίγων.

V. 923 seq.: *κἄπειτ' ἐπειδὴ ταῦτα ληρήσειε καὶ τὸ δρᾶμα*
ἤδη μεσοίη, ῥήματ' ἂν βόεια δώδεκ' εἶπεν,
ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, δείν' ἄττα μορμορωπὰ
ἄγνωτα τοῖς θεωμένοις.

37) Cf. v. 916 seq.

sedens fingitur, notat [38]). Neque maiore iure Achillem Aeschyli ridet, quippe qui prae dolore ob amicum morte absumptum plenus stomachi taciturnusque sedeat, donec a Mercurio mitigatus loquatur [39]). Quamvis Bacchus sententia comici carmina illa chorica iusto longiora leniter vituperet, cum ea *ἱμονιοστρόφου μέλη ἐκ Μαραθῶνος* [40]) vocet, chorus tamen carmina illa (*κάλλιστα μέλη*) valde celebrat [41]) et praedicat, et Aeschylus sese illa e commodo loco in alium non minus commodum transtulisse gloriatur, quippe qui a summis poetis Aeolicis, Terpandro, Alcaeo, Sapphone metra et rhythmos mutuatus sit. Ait v. 1298:

ἀλλ' οὖν ἐγὼ μὲν ἐς τὸ καλὸν ἐκ τοῦ καλοῦ
ἤνεγκον αὔθ', ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ
λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων [42]).

Euripides igitur, ut choros Aeschyli vituperare possit, non modo ex multis Aeschyli fabulis singulos versus coniungit, quibus carmina obscura et difficilia intellectu et armorum strepitus plena notare studet, sed etiam versus Aeschyli sic in ludibrium vertit, ut omnes versus in trochaeum s. spondaeum desinant omnesque versus ita canit, ut semper in fine trochaeum semantum, q. v. ponat [43]). Tali modo comicus Euripidem ipsum, qui aeolicos versus illos longos dactylicos et dactylicos logaoedicos et pedem orthium ac trochaeum semantum, denique obsoletum musicae genus Aeschyli et verba obscura versusque intercalares ridere conatur, lepidum sophistam perstringit [44]), etiamsi Ari-

38) Ran. v. 911 seq Auct. vit. Aesch. (cf. Ritter. Didym. opusc. p. 155). Welcker Aesch. Tril p. 348.

39) Cf. vit. Aesch. l. l.

40) Cf. Ran. v. 1296.

41) Cf. v 1250 seq.

42) Fritzsche ad h. l.

43) Cf. v. 1260—1295 Recte Fritzschius Timachida auctore omnes spondeos, (idem valet de trochaeo) minime ut vulgares spondeos, sed ut orthios in duodena tempora ab Euripide porrectos esse cantos affirmat.

44) Versu *ἰὴ κόπον οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;* non modo metrum ridet Euripides sed maxime usum vocabulorum epiphthegmaticorum. Vocabulo saepius repetito *φλαττόθραττο φλαττόθρατ'* imitatur modos citharodicos, quibus Aeschylus utitur, et sonis horridis gravitatem sermonis ridere vult. Cf. Welcker ad h. l.

stophanes ipse obscura illa carmina lenissime vituperat. Ut Euripides iam in reprehendendis choris Aeschyli ridiculum sophistam agit, sic non minus inepte prologos Aeschyli, i. e. illas tragoediarum partes, quae parodum praecedunt, vituperat artemque omnino sophistarum ostendit, cum Aeschylo usum vocabulorum synonymorum, qualia sunt *ἥκω καὶ κατέρχομαι* et *κλύειν καὶ ἀκούειν*, minus accuratum utpote *ὀρθοεπείᾳ* illi sophistarum nimiam navans operam crimini vertat [45]. —

Aristophanes igitur ut magnitudinem Aeschyli et in sermone et in singulis tragoediae partibus potissimumque in choris cerni docet, sic etiam ex tota compositione fabularum dignitatem et animum eius fortem apparere ostendit. Aeschylum enim poetae esse agendum, ut homines reddat meliores, et in illa re cuiusvis poetae laudem inesse, dicentem inducit. Quod Euripidem ipsum confiteri cogit. V. 1008 seq.:

Αἰσχ. τίνος οὕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητήν;
Εὐρ. δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν
τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν.

Cum igitur Aeschylus cives tragoediis virtutem docere velit, secutus exemplum Orphei, Musaei, Hesiodi, Homeri [46], qui, quod homines melius moratos fortioresque reddant, summa laude sint digni, personae, quas agentes inducit, comico imagines esse omnium fere virtutum videntur, ita ut non raro fere propius ad deorum, quam ad hominum naturam accedant, quibus gravis dictio et splendidus apparatus scenicus optime conveniat [47]. Heroes summos, quales sunt Teucri, Patrocli [48] in scenam inducit [49], cum maxime studeat, ut cives illorum exemplo ad virtutem inflammet. Quare gloriatur, sese effecisse, ut cives a timiditate, fraude, dolis, litibus alieni et summa virtute praediti arma et bellum spiraverint. V. 1013 seq.:

---

45) Cf. v. 1125—1175.
46) Cf. v. 1130—1137.
47) Cf. v. 1058 seq.
48) Cf. v. 963 seq. 1056 seq. Welcker Aesch. Tril. p. 434 seq.
49) Cf. v. 1040.

σκέψαι τοίνυν, οἵους αὐτοὺς παρ' ἐμοῦ παρεδέξατο πρῶτον εἰ γενναίους καὶ τετραπήχεις καὶ μὴ διαδρασιπολίτας μηδ' ἀγοραίους μηδὲ κοβάλους, ὥσπερ νῦν μηδὲ πανούργους ἀλλὰ πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας καὶ λευκολόφους τρυφαλείας καὶ πήληκας καὶ κνημῖδας καὶ θυμοὺς ἑπταβοείους.

Tales fabulas, quae cives ad fortitudinem incitarint, Septem adversus Thebas [50]) et Persas [51]) significat. Perstringit Athenienses, quod virtutes, quas in illis fabulis docuerit, neglegere coeperint. Tales viri, qualis est Lamachus [52]), sunt discipuli Homeri et Aeschyli. Vitiis et libidinibus locum non concedit. V. 1045: οὐκ' οἶδ' οὐδεὶς, ἥντιν' ἐρῶσαν πώποτ' ἐποίησα γυναῖκα [53]). A fallacibus artibus dicendi studiisque philosophorum plane abhorret [54]). Moribus maiorum deditus mysteriisque Eleusiniis initiatus summa pietate deos patrios colit [55]). Itaque Aeschylus

---

50) V. 1021 seq.: Αἰσχ. δρᾶμα ποιήσας Ἄρεως μεστόν. Διον. ποῖον; Αἰσχ. τοὺς ἕπτ' ἐπὶ Θήβας· ὁ θεασάμενος πᾶς ἂν τις ἀνὴρ ἠράσθη δάϊος εἶναι.

51) V. 1026: εἶτα διδάξας Πέρσας μετὰ ταῦτ' ἐπιθυμεῖν ἐξεδίδαξα
νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους κοσμήσας ἔργον ἄριστον,
ad quod Bacchus respondet ἐχάρην γοῦν νίκην ἀνακούσας παρὰ Δαρειόυ τεθνεῶτος, Ὁ χόρος δ' εὐθὺς τὼ χεῖρ' ὠδὶ συγκρούσας εἶπεν ἰαυοῖ. Ita legendum esse puto, cum Darius v. 800—823 victoriam Plataeensem Graecorum praedicat. Frustra grammatici de duplici editione Persarum cogitasse videntur. Cf. Fritzsche ad h. l.

52) Cf. v. 1039 seq. Sunt, qui verba ὡς ἦν Λάμαχος ἥρως ironice esse dicta censeant. Vereor, ne errent. Quamvis enim Lamachus in Acharnensibus et Pace ob magnam belli gerendi cupiditatem perstringatur, tamen virtuti eius comicus laudem non denegat. Et cum Lamachus in Sicilia pro patria mortem occubuerit, suo iure comicus illum discipulum Homeri s. Aeschyli vocat.

53) Bene Welckerus sententiam comici reddit p. 251 l. c. Nicht verliebte, sondern liebevolle Herzen dichtet er.

54) Cf. v. 1491.

55) Ante certamen cum Euripide precatur v. 886: Δήμητερ, ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα, εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων. Cf. v. 1365 seq. 1410 seq. 1500.

quasi imago veterum morum et virtutum saluti rei publicae tragoediis sententia comici optime consulit; quo fit, ut Bacchus, qui sententiam Aristophanis, postquam ad trutinam ventum est, et vis singulorum verborum Aeschyli subtilem Euripidis poesim multo superavit et Aeschylus civibus de servanda civitate melius consilium quam Euripides dedit [56]), amplexus est, Aeschylum principem tragicorum iudicet ipseque Pluto poetam summum ex inferis redeuntem admoneat, ut bonis consiliis Athenas ab interitu custodiat.

Homines igitur, qui morum maiorum sunt tenaces, Aeschylum maxime diligunt. Qua de re Euripides Aeschylum ridet v. 965:

τουτουμενὶ (μαθηταὶ) Φορμίσιος, Μεγαίνετός θ'ὁ Μανῆς,
σαλπιγγολογχυπηνάδαι, σαρκασμοπιτυοκάμπται.

Ridicule scilicet Phormisium et Megaenetum homines incultiores et ab artibus abhorrentes Aeschyli esse discipulos dicit [57]). —

Aeschylo prorsus contrarium Aristophanes Euripidem inducit. Ut Aeschylearum fabularum natura virum spirat bellicosum,

---

56) Quae Aeschylus v. 1431 de Alcibiade suadet:

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν,
ἢν δ'ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν

ex Aristophanis quidem sententia sunt dicta, ceterum optime conveniunt Aeschyli moribus, neque dubium est, quin prior versus ex Aeschyli quadam fabula sit sumptus. Cf. Welcker in Zimmermann. Diar. scholast. 1831 Nr. 152; alter versus *μάλιστα μὲν λέοντα μὴ 'ν πόλει τρέφειν* sine dubio spurius est. Cf. Wagner Quaest. de Ran. p. 22. Quae postea suadet v. 1462 seq.: *τὴν γῆν ὅταν νομίσωσι τὴν τῶν πολεμίων,*
πόρον δὲ τὰς ναῦς, ἀπορίαν δὲ τὸν πόρον·
(malim *φόρον*) haec quidem sententia Themistocle est digna, sed haud scio an magis Euripidi quam Aeschylo, cui potius verba Euripidis (v. 1446—50) tribuam, conveniat, quod exponere longum est.

57) Schol. ad h. l. *Δίδυμός φησιν, ὅτι Φορμίσιος δραστικὸς ἦν καὶ τὴν κόμην τρέφων, καὶ φοβερὸς δοκῶν εἶναι· διὸ δὲ καὶ Αἰσχύλου μαθητήν φησιν αὐτὸν εἶναι· δασὺς δὲ ἦν καὶ καθίει τὸν πώγωνα.* Non puto, hunc Phormisium eundem esse, quem Plato in Legatis fabula ridet, qui legatus ad Persas missus auro sit corruptus. Cf. Bergk de reliq. com. Att. p 389. Fortasse tamen is est, qui auctore Dionys. Hal. de Lys. c. 32 exeunte bello Peloponnesiaco Athenas in libertatem vindicare conatus est.

sic dictio et tota indoles fabularum Euripidearum comico sophistam mollem sapere videtur. Euripides igitur sententia Aristophanis est omnino poeta rerum forensium (Pac. v. 534 ποιητὴς ῥημάτων δικανικῶν), qui artibus sophistarum nimis sit deditus. Sophistarum more cubitos, canones, diametros, quibus singula artis tragicae aestiment, ferre iubet [58]). Superbum, loquacem sese praestat. Inhaeret pro suo ingenio rebus minutissimis, ita ut vel Bacchus, licet Euripidi sit amicus, Aeschylum, ne respondeat, adhortetur [59]). Jam iis, quae Aeschylo obiicit, ridiculum sophistam agit, ut vidimus. —

Genere igitur dicendi tenui subtilique et ab omni gravitate alieno sententia Aristophanis utitur. Verba Euripidis vocat σμινδαλάμων παραξόνια [60]) (v. 820); καταπρίσματ' ἐπῶν (v. 881). Leporem (ἀστεῖον, κατεῤῥινημένον) solum petit [61]). Chorus igitur Euripidis dicendi genus egregie describit v. 825 seq.:

ἔνθεν δὴ στοματουργὸς ἐπῶν βασανίστρια λίσπη
γλῶσσ' ἀνελισσομένη φθονεροὺς κινοῦσα χαλινούς,
ῥήματα δαιομένη καταλεπτολογήσει
πνευμόνων πολὺν πόνον.

Chori illis Aeschyli plane contrarii sunt [62]). Notatur enim Euripides, quod a corruptoribus artis musicae frigidisque poetis veluti a Meleto carmina modosque musicae mutuatus sit neque tibiam Caricam despiciat talesque choros comparaverit, ut illis ne iusto quidem organo opus sit, sed concharum testarumve collisio illis sufficiat. Quamobrem Aeschylus v. 1302:

---

58) Ran. v. 799 seq.

59) Cf. v. 1132 seq.

60) Vereor, ne legendum sit παράξυσμα pro παραξόνια.

61) Cf. v. 942. In Equitibus dictio haec subtilis significatur v. 19 κομψευριπιδικῶς.

62) Gloriatur Euripides v. 940 seq.:

ἴσχνανα μὲν πρώτιστον αὐτὴν καὶ τὸ βάρος ἀφεῖλον
ἐπυλλίοις καὶ περιπάτοις καὶ τευτλίοισι λευκοῖς,
χυλὸν διδοὺς στωμυλμάτων ἀπὸ βιβλίων ἀπηθῶν.

οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει πορνιδίων,
σκολίων Μελήτου, Καρικῶν αὐλημάτων,
θρήνων, χορείων· τάχα δὲ δηλωθήσεται.
ἐνεγκάτω τις τὸ λύριον· καίτοι τί δεῖ
λύρας ἐπὶ τούτων; ποῦ'στιν ἡ τοῖς ὀστράκοις
αὕτη κροτοῦσα; δεῦρο Μοῦσ' Εὐριπίδου,
πρὸς ἥνπερ ἐπιτήδεια ταῦτ' ᾄδειν μέλη [63]).

Notat comicus, Aeschylo chorum Euripideum imitante, quod alienus a gravi Aeschyli musica, in qua, quot metro continebantur verborum syllabae, totidem musicae erant notae, non dubitet, unam syllabam vel sexies repetere, ut senae notae pro una substituantur [64]); ridet, quod versus multis solutionibus emollitos, ut versus iambicos, trochaicos, anapaesticos, dochmiacos brevibus syllabis nimis fractos et effeminatos petat. Maxime vero vituperat Euripidis molles glyconeos polyschematistos propter τὸ δωδεκαμήχανον i. e. propter nimiam diversarum formarum varietatem. Tum Aeschylus chorum ex multis Euripidis tragoediis consarcinans choros illos ridet, quod nimis molles sint et inanem loquacitatem ostendant nulloque modo cum actione cohaereant. Non minus monodiae ab Euripide inventae illuduntur, quae ab omni gravitate alienae in summam mollitiem et turpitudinem abire soleant [65]). Egregie comicus humilem rationem et

---

63) Usa erat Hypsipyle crepitaculo Opheltae pueri causa, quem nutriebat. Optime igitur comicus rem ita instituit, ut crepitantia Euripidis carmina, quae partim ex Hypsipyle petita sunt, ad istuc crepitaculum cani iuberet. Ceterum Bergkius, vir egregius, erraverit, qui Aristid. T. I. p. 595 eiusque schol. sequens Dioclem, qui conchis aliisque crepitaculis in carminibus uti invenerit, h. l. rideri putat. Bergk: de rel. com. Att. p. 430. Comicus sola carmina soluta Euripidis ridet. Quod Bacchus v. 1308 respondet: αὕτη ποθ' ἡ Μοῦσ' οὐκ ἐλεσβίαζεν, οὔ; verbum ἐλεσβίαζεν ambiguum est, quippe cum λεσβιάζειν significet et Terpandrum Lesbium imitari et meretrices Lesbias, i. e. in lascivos obscoenosque versus deflecti.

64) Cf. v. 1309—1321. Naturam artis musicae Euripidis molliumque carminum bene significat verbum εἱειειειειειλίσσετε. Cf. Kock. ad h.

65) Cf. v. 1325—1364. v. 849. Aeschylus hasce monodias creticas vocat: ὦ κρητικὰς μὲν συλλέγων μονῳδίας. Equidem haec verba refero ad Cretenses fabulam, in qua Pasiphae a tauro inita monodiam lascivam cecine-

naturam monodiarum Euripidis sic imitatur, ut mulierculam quandam, quae nendo occupata somno est immersa, postquam est experrecta, somnium quoddam ineptum enarrantem et deplorantem atque orationem figurarum rhetoricarum plenam ad noctem habentem inducat; quae cum animadvertat, Glycen vicinam sibi gallum furto abstulisse, id quod ei somnio illo praenuntiatum videtur, deos et homines invocat, ut gallum repetant. Quae monodiae humilibus argumentis ridiculae versibus non minus neglegenter compositis conscriptae ab Aristophane finguntur [66]). Acerbissime autem prologi Euripidis, quibus spectatores de statu et conditione personarum, quae agentes inducuntur, certiores facit, ridentur, cum prologi illi actionem quasi fundamento privare et efficere, ut fabulae a casu proficiscantur, comico videantur [67]). Sophistam omnino redolent, quippe qui nimia aequalitate (ἰσοκώλοις) conscripti ita comparati sint, ut parum mutati cuivis fabulae Euripideae non minus apte possint praefigi. Itaque Aeschylus v. 1202 seq.:

ποιεῖς γὰρ οὕτως, ὥστ' ἐναρμόττειν ἅπαν,
καὶ κωδάριον καὶ ληκύθιον καὶ θυλάκιον.

Ridentur etiam, quod in magnam humilitatem abeant et versibus iambicis nimis solutis et fractis sint conscripti. Facete igitur Aeschylus prologos Euripidis sic exagitat, ut initia illorum verbis illis ληκύθιον ἀπώλεσεν, quae naturam illorum optime reddunt, terminet [68]). —

---

rit. Fritzschius putat, μονῳδίας κρητικὰς esse mimicas et cretico hyporchemati simillimas. Propter humilitatem comicus monodias Cephisophonti servo et actori Euripidis tribuit v. 944: εἶτ' ἀνέτρεφον μονῳδίαις Κηφισοφῶντα μιγνύς. Cf. v. 850. auct. vit. Eur.

66) Monodiae Euripidis ridentur etiam in Thesmophoriaz. v. 1055 seq.

67) Vituperat eam ob causam initium Antigonae Euripidis v. 1182: ἦν Οἰδίπους τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ. Cf. v. 1200—1248.

68) Versus trimetri iambici prologorum minus notantur propter caesuram illam penthemimerim ad nauseam usque repetitam, quam quod prior versus pars gravibus spondeis et verbis insignis alteri parti in lepida verba exeunti et brevibus syllabis fractae plane contraria sit. Egregie indolem prologorum significant vocabula ληκύθιον ἀπώλεσεν, quippe quae maximam ad partem ex elementis, quae humile et molle sonant, constent, quorumque septem

Ut iam singulae partes tragoediarum Euripidis perstringuntur utpote nimis humiles sophistamque spirantes, sic etiam tota compositio et ratio fabularum acerbissime ridetur. Maxime natura illarum notatur, quod fabulae Euripidis comico mores videntur corrumpere, cum non proponant exempla ad imitandum, sed vitam quotidianam Atheniensium imitentur. Euripides enim nimis petit, ut multitudini Atheniensium fabulae suae placeant. Itaque artibus sophistarum decertationibusque in tragoediis locum concedit (v. 774: *ἀντιλογίαις καὶ λογισμοῖς καὶ στροφαῖς*), quibus plebs valde delectata est. Forenses res tragoediis inserit; gloriatur, sese artes et dolos sophistarum in tragoediam transtulisse, v. 955 seq.:

λεπτῶν τε κανόνων εἰσβολὰς ἐπῶν τε γωνιασμούς,
νοεῖν, ὁρᾶν, ξυνιέναι, στρέφειν, ἐρᾶν 69), *τεχνάζειν,*
κάχ' ὑποτοπεῖσθαι, περινοεῖν ἅπαντα.

Ne res domesticae quidem a tragoediis eius alienae sunt, quibus se locum concessisse ipse profitetur v. 958 seq.:

οἰκεῖα πράγματ' εἰσάγων, οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν,
ἐξ ὧν γ'ἂν ἐξηλεγχόμην· ξυνειδότες γὰρ οὗτοι
ἤλεγχον ἄν μου τὴν τέχνην· et v. 972 seq.:
τοιαῦτα μέντοὐγὼ φρονεῖν
τούτοισιν εἰσηγησάμην,
λογισμὸν ἐνθεὶς τῇ τέχνῃ
καὶ σκέψιν, ὥστ' ἤδη νοεῖν
ἅπαντα καὶ διειδέναι
τά τ' ἄλλα καὶ τὰς οἰκίας
οἰκεῖν ἄμεινον ἢ πρὸ τοῦ,
κἀνασκοπεῖν, πῶς τοῦτ' ἔχει;
ποῦ μοι τοδί; τίς ἔλαβεν; Et Bacchus ut rideat Euripidem,

---

syllabae ad unam omnes compositae sint e binis elementis, octava autem singulum solum elementum complectatur. Adde, quod verbum *ἀπώλεσεν*, cui est mensura paeonis secundi, rhythmo omnem gravitatem aufert. Egregie de hisce prologis dicit R. Hannov. in comment. „de Aristoph. ampulla, versuum corruptrice“ (progr. a. 1844). Perstringuntur etiam prologi Euripidis in Acharn. v. 46—51, ubi Amphitruo prologos hosce imitatur, Thesm. v. 850—70. Eccles. init.

69) Puto, pro *ἐρᾶν* legendum esse *κυκᾶν*.

qui Athenienses a rebus magnis avocet atque ad res vilissimas adducat v. 980 seq.:

νὴ τοὺς θεοὺς, νῦν γοῦν Ἀθη —
ναίων ἅπας τις εἰσιὼν
κέκραγε πρὸς τοὺς οἰκέτας
ζητεῖ τε, ποῦ'στιν ἡ χύτρα;
τίς τὴν κεφαλὴν ἀπεδήδοκεν
τῆς μαινίδος; τὸ τρύβλιον
τὸ περυσινὸν τέθνηκέ μοι·
ποῦ τὸ σκόροδον τὸ χθιζινόν;
τίς τῆς ἐλάας παρέτραγεν;
τέως δ'ἀβελτερώτατοι,
κεχηνότες Μαμμάκυθοι,
Μελιτίδαι καθῆντο.

Euripides igitur, cum ipse sit versutus [70]) sophista, spectatores dolos et fallaces dicendi artes docet, qua de re grassatores, crumenae actores, parricidae, parietum perfossores iisque similes homines ab Euripidis partibus stant (cf. v. 775 seq.). Chorus laudat Aeschylum, quod non, ut Euripides, consuetudine sophistarum et philosophorum, veluti Socratis, artem tragicam corruperit [71]). — Non minus sugillatur Euripides, quod personae, quas agentes inducat, omni gravitate careant et misericordiam spectatorum movere nimis studeant. Ridet Aeschylus, quod heroes eius

---

70) Euripides (πανοῦργος) propter dolos et fraudes, quibus fabulae eius refertae sunt, maxime ridetur in Thesmoph. v. 1055—1200. Ad fallaces eius artes dicendi referendum est fr. 512 (Dind.) στρεψιμάλλος τὴν τέχνην Εὐριπίδης. Egregie comicus contra Cratinum, qui illum in Πύτνῃ fabula Εὐριπιδαριστοφανίζοντα vocat et ridet, quod dictionem Euripidis imitetur, dicit fr. 397 (Dind.)

χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ,
τοὺς νοῦς δ'ἀγοραίους ἧττον ἢ κεῖνος ποιῶ.

Cf. schol. Plat. Bekk. p. 330.

71) V. 1490: χαρίεν οὖν μὴ Σωκράτει
παρακαθήμενον λαλεῖν,
ἀποβαλόντα μουσικὴν,
τά τε μέγιστα παραλιπόντα
τῆς τραγῳδικῆς τέχνης.

omnibus vitiis corporis et animi sint praediti, quamobrem Euripidem vocat πτωχοποιὸν καὶ ῥακιοσυῤῥαπτάδη (v. 842). Reges speciem mendicantium prae se ferunt. Itaque Aeschylus v. 1063 pannos ridet, quibus heroas instruxerit:

πρῶτον μὲν τοὺς βασιλεύοντας ῥάκι' ἀμπισχών, ἵν' ἐλεινοὶ τοῖς ἀνθρώποις φαίνοιντ' εἶναι, quo fieri, ait, ut homines paupertatem simulare, et munera publica evitare doceat. Cf. v. 1066 seq. Quod vitium Euripidis iocosissime in Acharnensibus (v. 440—480) ridetur, ubi Dicaeopolis, cui ratio pacis cum Lacedaemoniis initae reddenda est, ut misericordiam Acharnensium ei iratorum moveat, ab Euripide pannos Telephi [72]) petit, cum neque Oenei senis, neque caeci Phoenicis, neque Philoctetis mendici neque Bellerophontis claudicantis panni illi sufficiant, quibus acceptis parvum petasum Mysium, baculum mendici aliasque res sordidas, quas Euripides heroibus dederit, postulat. Dicaeopoli autem spongiam, qua sudorem Telephus absterserit, efflagitante, tragicus exclamat: ἄνθρωπ' ἀφαιρήσει με τὴν τραγῳδίαν, et quum etiam „ἰσχνὰ φυλλεῖα ἐς τὸ σπυρίδιον" Euripidem oret, Euripides clamat: ἀπολεῖς μ'· ἰδού σοι. φροῦδά μοι τὰ δράματα. Quorum heroum, quos tali habitu in scenam inducat, plerique sententia comici sophistae versuti et in dicendo nimimium versati sunt. Itaque Euripides Clitophontem et Theramenem, homines fallacium dicendi artium peritissimos, suos esse discipulos perseverat. V. 966:

οὑμοὶ (sc. μαθηταὶ) δὲ Κλειτοφῶν τε καὶ Θηραμένης ὁ κομψός.

— Tum comicus Euripidem notat, quod plebi placere studens,

---

72) Aristophanes nullam fabulam Euripidis magis ridet, quam Telephum, quamquam haec fabula iam tredecim annos (Ol. 85, 2) ante Acharnenses acta est Cf. Dind. praef ad Alcest. Bergk: de reliq. com. Att. p. 137. Ridet etiam Telephum Nub. v. 920. Equitt. v 813, 1240. In Pace autem puer Trygaeum in cantharo ad coelum vehentem monet, ut videat, ne claudus fiat et tragoedia Euripidis. V. 145:

ἐκεῖνο τήρει, μὴ σφαλεὶς καταῤῥυῇς
ἐντεῦθεν, εἶτα χωλὸς ὢν Εὐριπίδῃ
λόγον παράσχῃς καὶ τραγῳδία γένῃ.

Pannos Menelai ludit Thesm. v. 870 seq. Eodem modo Inonem Euripidis vitiis corporis affectam ridet Vesp. v. 1405.

nullum personarum delectum habeat et servi non minus honestas partes agant, quam heroes iisdemque sermonibus, quibus homines ingenui, utantur. Euripidem enim dicentem inducit v. 948 seq.:

ἔπειτ' ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν οὐδὲν παρῆκ' ἂν ἀργόν,
ἀλλ' ἔλεγεν ἡ γυνή τέ μοι χὠ δοῦλος οὐδὲν ἧττον,
χὠ δεσπότης χἠ παρθένος χἠ γραῦς ἄν [73]).

Quam rem Aeschylus respuens dicit: εἶτα δῆτα οὐκ ἀποθανεῖν σε ταῦτ' ἐχρῆν τολμῶντα; ad quod Euripides respondet: μὰ τὸν Ἀπόλλω· δημοκρατικὸν γὰρ αὔτ' ἔδρων, quod dictum ipse Bacchus valde ridet:

τοῦτο μὲν ἔασον, ὦ τάν.
οὐ σοὶ γάρ ἐστι περίπατος κάλλιστα περί γε τούτου [74]).

Cum Euripides pulchri et decori sensus expers omnia ad vivum resecet [75]), tantum abest, ut vitia hominum celet, ut perturbationes animi scelestasque cupidines in tragoediis spectatoribus proponat. Quamobrem ab Aeschylo perstringitur, quod res, quibus nullae magis nefariae excogitari possint, in fabulis exhibeat [76]) maximeque mulieres turpissimis vitiis moribusque parum honestis affectas, veluti Phaedram, Stheneboeam in scenam inducat. (Cf. v. 1078, 1042, 850) [77]). Tota Thesmophoriazusae

---

73) Puto pro ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν recte Kockium scripsisse: ἔπειτα προσώπων τῶν ἐμῶν. κ. τ. λ. Notatur etiam hanc ob causam Euripides Acharn. v. 400, quo loco Dicaeopolis de Cephisophonte dicit:

ὦ τρισμακάρι' Εὐριπίδη,
ὅθ' ὁ δοῦλος οὑτωσὶ σοφῶς ὑποκρίνεται.

74) Constat, Euripidem non multo ante mortem ad Archelaum, regem Macedonum, qui teste Platone crudelis fuit tyrannus, sese contulisse. Cf. anct. vit. Eur. Rossing. Aristot. Polit. VI, 8. Ritschl l. l. p. 3. Ad quam rem Bacchus alludere videtur. Cf. Hartung. Eur. rest. II p. 507. Grysar: De Graec. trag. qualis fuit circ. temp. Demost Colon. 1830, p 16.

75) v. 1052 seq.: Ευρ. πότερον δ' οὐκ ὄντα λόγον τοῦτον περὶ τῆς Φαίδρας ξυνέθηκα. Αἰσχ. μὰ Δί', ἀλλ' ἀποκρύπτειν χρὴ τὸ πονηρὸν τόν γε ποιητὴν καὶ μὴ παράγειν, μηδὲ διδάσκειν.

76) Cf. Ran. v. 1077 seq.

77) Summa cavillatio Euripidis in verbis Bacchi inest v. 1048: ἃ γὰρ ἐς τὰς ἀλλοτρίας ἐποίεις, αὐτὸς τούτοισιν ἐπλήγης. Namque etiam mulieres Euripidis parum castas fuisse constat.

fabula in hac re ridenda versatur (cf. v. 390—430), in qua fabula mulieres Euripidem, quod sibi semper maledicat, in iudicium vocant, quippe qui virtutes feminarum nullo loco commemoret v. 546 seq.:

ἐπίτηδες εὑρίσκων λόγους, ὅπου γυνὴ πονηρὰ
ἐγένετο, Μελανίππας ποιῶν Φαίδρας τε· Πηνελόπην δὲ
οὐπώποτ' ἐποίησ', ὅτι γυνὴ σώφρων ἔδοξεν εἶναι [78]).

Tragoediae Euripidis, quae rebus vilibus, quibus Athenienses quotidie utantur, locum concedant, comico civitati summam perniciem inferre videntur, quam ob causam Aristophanes omnia fere, quae notat, ad rempublicam moresque civium refert et ridicule exponit, quanta mala ex Euripidis fabulis in rempublicam redundaverint. Nihil igitur poeta magis ridet, quam Euripidem, deorum patriae contemtorem, deos novae tamquam monetae neque antea cognitos inducere; tales dii comico videntur Peitho et Aether [79]). Euripides ipse invocat deos Anaxagorae et sophistarum Aetherem, Suadam, Mentem, Nares. Dicit v. 890: *ἕτεροι γάρ εἰσιν, οἷσιν εὔχομαι θεοῖς* et v. 893 seq. precatur:

αἰθήρ, ἐμὸν βόσκημα, καὶ γλώττης στρόφιγξ
καὶ ξύνεσι καὶ μυκτῆρες ὀσφραντήριοι,
ὀρθῶς μ' ἐλέγχειν, ὧν ἂν ἅπτωμαι λόγων [80]).

In Thesmophoriazusis vel muliercula de Euripide queritur v. 451:

τοὺς ἄνδρας ἀνεπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς.

Patrios deos contemnens iam partus in deorum delubris editos facit et incastas nuptias inducit [81]). Officia in deos et

---

78) In Lysistrata (v. 155 seq.) comicus ridet propter libidinem Helenam et Menelaum. Quod iusto saepius malas mulieres inducat, in eadem fabula acerbe notatur v. 283 seq. 368 seq.

79) Cf. v. 1390—1395.

80) Cf. Ran. v. 100 seq. Thesmoph. v. 5—37. 272—276.

81) Aeschylus queritur v. 1077 seq.:

ποίων δὲ κακῶν οὐκ αἴτιός ἐστ';
οὐ προαγωγοὺς κατέδειξ' οὗτος,
καὶ τικτούσας ἐν τοῖς ἱεροῖς,
καὶ μιγνυμένας τοῖσιν ἀδελφοῖς,
καὶ φασκούσας οὐ ζῆν τὸ ζῆν;

homines maximeque fidem iuris iurandi omnemque pietatem artibus sophistarum ambiguisque sententiis comico evertere videtur [82]). Patriae perniciem inferre arguitur, quod eius fabulae homines, praecipue iuvenes, gymnasiis relictis molles et effeminatos reddant illosque dolos et fraudes doceant, quae, ut Theramenes et Clitophon, ad rempublicam administrandam conferant. Quamobrem Aeschylus v. 1069 seq.:

εἶτ' αὖ λαλιὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξας
ἣ 'ξεκένωσεν τάς τε παλαίστρας καὶ τὰς πυγὰς ἐνέτριψε
τῶν μειρακίων στωμυλλομένων.

Euripides ipse v. 954 gloriatur:

ἔπειτα τουτουσὶ λαλεῖν ἐδίδαξα,

ad quod Aeschylus respondit:

φημὶ κἀγώ.
ὡς πρὶν διδάξαι γ' ὤφελες μέσος διαῤῥαγῆναι. Cf. v. 1087, 1013. Gravatur Aeschylus, quod Euripides pannis paupertatem simulare docens Athenienses incitaverit, ut officiis publicis, veluti trierarchiis, sese subducerent. V. 1065 seq.:

οὐκοῦν ἐθέλει γε τριηραρχεῖν πλουτῶν οὐδεὶς διὰ ταῦτα,
ἀλλὰ ῥακίοις περιειλλόμενος κλάει καὶ φησὶ πένεσθαι,

cf. 1014. Perversitatem, ait, vilissimorum hominum, qui ex Euripidis tragoediis fraudes ac pravas dicendi artes peterent, iam eo processisse, ut, qui olim vix de aliis rebus, quam de pane cibario et vili suo negotio cogitavissent, iam obedientiam officiaque abiicerent, nec ducum magistratuumque rationem haberent. V. 1071 seq.:

Ridicule comicus in Thesmophoriazusis Euripidem ut lenam, cuius partes in Hippolyto nutrix Phaedrae agit, inducit. Cf Thesm. v. 1185 seq.

82) v. 98 — — *ὡδὶ γόνιμον, ὅστις φθέγξεται*
τοιουτονί τι παρακεκινδυνευμένον·
αἰθέρα Διὸς δωμάτιον, ἢ χρόνου πόδα,
ἢ φρένα μὲν οὐκ ἐθέλουσαν ὀμόσαι καθ' ἱερῶν,
γλῶτταν δ' ἐπιορκήσασαν ἰδίᾳ τῆς φρένος.

Ridet enim Eur. Hipp. v. 612 *ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.* Cf. Ran. v. 1475.

καὶ τοὺς παράλους ἀνέπεισεν
(sc. Εὐριπίδης) ἀνταγορεύειν τοῖς ἄρχουσι· καίτοι τότε γ',
ἡνίκ' ἐγὼ 'ζων,
οὐκ ἠπίσταντ' ἀλλ' ἢ μᾶζαν καλέσαι καὶ ῥυππαπαῖ εἰπεῖν [83]).
Indignatur Aeschylus, quod Euripidis tragoediis sit factum, ut urbs immenso illorum numero repleta sit, qui argutias sophistarum ex Euripidis fabulis ad rempublicam administrandam more Theramenis transtulerint. V. 1082 seq.:

κᾆτ' ἐκ τούτων ἡ πόλις ἡμῶν
ὑπογραμματέων ἀνεμεστώθη,
καὶ βωμολόχων δημοπιθήκων,
ἐξαπατώντων τὸν δῆμον ἀεί.
λάμπαδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν
ὑπ' ἀγυμνασίας ἔτι νυνί.

Jam quomodo Euripidis poesis amatoria moribus mulierum perniciosa sit infamiamque illarum moveat, non minus facete quam ingeniose comicus ostendit. Euripidi enim ex Aeschylo quaerenti v. 1049:

καὶ τί βλάπτουσ', ὦ σχέτλι' ἀνδρῶν, τὴν πόλιν ἁμαὶ Σθενέβοιαι;

respondet adversarius

ὅτι γενναίας καὶ γενναίων ἀνδρῶν ἀλόχους ἀνέπεισας,
κώνεια πιεῖν, αἰσχυνθείσας διὰ τοὺς σοὺς Βελλεροφόντας.

Cum etiam consilia, quae Euripides de servanda republica dat, inepta sint et sophistam redoleant, Bacchus ipse illum indignum putat, quem ex inferis reducat. Cf. v. 1435—1455. —

Restat, ut quid Aristophanes de Sophocle iudicaverit, inquiramus. Quamvis comicus pro suo consilio Sophoclis raro mentionem iniiciat, tamen satis apparet, Aristophanem illum summa laude dignum duxisse, neque dubium est, quin eum, quod ad artem tragicam attinet, principem tragicorum esse aestimaverit. Sophocles enim modestia ductus cum Aeschylo, ad quem ad

---

83) Facete Bacchus, ut, quatenus differant homines Aeschyleae aetatis ab Euripidis personis, addit verbis Aeschyli:

νὴ τὸν Ἀπόλλω καὶ προσπαρδεῖν γ' εἰς τὸ στόμα τῷ θαλάμακι
καὶ μινθῶσαι τὸν ξύσσιτον, κἀκβὰς τινὰ λωποδυτῆσαι.
νῦν δ' ἀντιλέγει κοὐκέτ' ἐλαύνων πλεῖ δευρὶ καὖθις ἐκεῖσε.

inferos veniens familiarissimo accedit, quasi discipulus certare non vult. Attamen cum Euripide si superior e certamine discesserit, de principatu certaturus est, quam quidem rem poeta modestissimus cum Clidemide histrione suo solo communicavit. Aeacus enim Xanthiae miranti, quid sit, cur Sophocles sedem non acceperit, respondet v. 788 seq.:

μὰ Δί' οὐκ ἐκεῖνος, ἀλλ' ἔκυσε μὲν Αἰσχύλον,
ὅτε δὴ κατῆλθε, κἀνέβαλε τὴν δεξιάν,
κἀκεῖνος ὑπεχώρησεν αὐτῷ τοῦ θρόνου·
νυνὶ δ' ἔμελλεν, ὡς ἔφη Κλειδημίδης,
ἔφεδρος καθεδεῖσθαι· κἂν μὲν Αἰσχύλος κρατῇ,
ἕξειν κατὰ χώραν· εἰ δὲ μή, περὶ τῆς τέχνης
διαγωνιεῖσθ' ἔφασκε πρός γ' Εὐριπίδην [84]).

Timet etiam Bacchus, ne si Sophoclem reducat, Euripides sibi negotia exhibeat, Sophoclem autem ab omni partium studio alienum suaque sorte contentum tranquille et facile commorari, ut in terra, sic in inferis. Praeterea sese velle cognoscere, ait, quid Iophon, quem ceteris quidem poetis vivis anteponit, licet in laudibus eius dubius haereat, cum, illum Sophoclis patris tragoedias pro suis venditare, suspicetur, sine Sophocle adiutore perficiat Ita enim Herculi interroganti v. 75 seq.:

εἶτ' οὐ Σοφοκλέα, πρότερον ὄντ' Εὐριπίδου,
μέλλεις ἀνάγειν, εἴπερ γ' ἐκεῖθεν δεῖ σ' ἄγειν;

respondet Bacchus:

οὔ, πρίν γ' ἂν Ἰοφῶντ', ἀπολαβὼν αὐτὸν μόνον,
ἄνευ Σοφοκλέους ὅ τι ποιεῖ, κωδωνίσω.
κἄλλως ὁ μέν γ' Εὐριπίδης, πανοῦργος ὤν,
κἂν ξυναποδρᾶναι δεῦρ' ἐπιχειρήσειέ μοι·
ὁ δ' εὔκολος μὲν ἐνθάδ', εὔκολος δ' ἐκεῖ.

---

84) Fritzschius ex h. l. (afferens etiam Polluc. IV, 111) Euripidem inter et Sophoclem graves inimicitias intercessisse colligit; quod tamen moribus Sophoclis, qui vel mortem eius in scena celebrasse dicitur, minus convenit. Cf. Welcker Gr. Trag. p. 249, 521. Schultz vit. Soph. p. 127 seq. Attamen hoc colligam ex Ranis, commenticiam esse inimicitiam, quae inter Sophoclem et Aeschylum fuisse dicitur. Cf. Welcker Aesch. Tril. p. 516, 574. Boeckh de Gr. tr. princ. p. 50.

Quibus verbis comicus humanitatem, pietatem, mores Sophoclis indolemque poesis eius praeclare exprimit. Aeschylus etiam illum magni aestimat; nam ex inferis discedens illi tradit sedem principi tragicorum destinatam servandam, quippe quem secundum inter poetas tragicos iudicet. Cf. V. 1515 seq. Alii quoque loci Aristophanis luculenter ostendunt, quanti comicus Sophoclem eiusque tragoedias aestimarit. Elegantiam enim ac dignitatem dicendi Sophoclis quasi medium inter dictionem gravem nec raro duram Aeschyli subtilemque Euripidis stilum sequentis laudat versibus illis suavissimis, quos Dio Prus. servavit, qui de Philocteta Sophoclis disserens sic scribit LII, p. 553. Mor. *τά τε μέλη οὐκ ἔχει πολὺ τὸ γνωμικὸν οὐδὲ τὴν πρὸς ἀρετὴν παράκλησιν, ὥσπερ τὰ τοῦ Εὐριπίδου, ἡδονὴν δὲ θαυμαστὴν καὶ μεγαλοπρέπειαν, ὥστε δὴ εἰκῇ τοιαῦτα περὶ αὐτοῦ τὸν Ἀριστοφάνην εἰρηκέναι·*

Ὁ δ' αὖ Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχρισμένου,
ὥσπερ καδίσκου, περιέλειχε τὸ στόμα.

quae verba de imitatore Sophoclis dicta Dindorfius (Arist. com. et fragm. p. 594) Gerytadi fabulae, quae tota in deridendis poetis aequalibus, inter quos fuerit Euripidi primus locus, versata videtur, recte assignat [85]). Sophoclis carmina, quae sint deae Pacis grata, laudantur in Pace. cf. v. 531. Neque laudem eius comicus diminuit, quod eum in Pace avaritiae nimiaeque cupiditatis pecuniae arguit, quod iocosius quam verius dictum sit [86]).

---

85) Bergkius verba illa non recte fabulae, quae inscripta fuit *Σκηνὰς καταλαμβάνουσαι*, tribuit putatque, verba illa ad Euripidem pertinere. Cf. de rel. com. Att. p. 205. Ad Iophontem maiore iure versus illos rettulerit Fritzschius, qui eos Anagyro fabulae tribuit. Cf. Fritzsche: Quaest. Arist. I. p. 144.

86) Cf. Pac. v. 695 seq. Trygaeus Mercurio, quid Sophocles agat, interroganti respondet:

εὐδαιμονεῖ· πάσχει δὲ θαυμαστά. Ἑρμ. τὸ τί;
Τρυγ. ἐκ τοῦ Σοφοκλέους γίγνεται Σιμωνίδης.
Ἑρ. Σιμωνίδης; πῶς; Τρ. ὅτι γέρων ὢν καὶ σαπρός
κέρδους ἕκατι κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοι.

Poeta dicit, ipsum Sophoclem bello de liberalitate recessisse totamque poesim illo esse depressam, quod ut probet, vel Sophoclem quaestus cupidum

Quo factum sit, ut rarissime commemoretur in fabulis Aristophanis, postea ostendemus.

Postquam iudicium, quod Aristophanes de tragicis instituit, exposuimus, iam apparet, illum Aeschyli tutelam etiam in illis rebus suscepisse, quas fortasse non iniuria adversarii ei vituperaverint. Summa admiratione illum amplectitur, qui ei est imago morum maiorum (τῶν Μαραθωνομαχῶν), quamquam Sophoclis artem tragicam plurimi fecerit; Euripidis autem vitia summo odio perstringit, quippe quem sophistam ducat, qui plebis cupidinibus maxime indulgeat. Itaque, ne inique de Aristophane iudicemus neve iudicium perperam intellegamus, quo iure poeta comicus tragicos tali modo descripserit, videndum est; quod facillime fit, si quomodo comoediae naturae maximeque veteris Atticae iudicium conveniat, quamque vim reipublicae conditio in iudicium illud exercuerit, investigaverimus.

Caput II.

Quomodo iudicium comoediae maximeque ab Aristophane eique aequalibus excultae rationi conveniat.

Comoediae proprium est, vitam humanam eiusque vitia ita imitari, ut spectatores ea re delectentur. Quamobrem aut tales res comicus spectatoribus proponat necesse est, quae iam per se speciem praebeant ridiculam, aut res, quas inducit, ita sunt depravandae et vertendae, ut hac depravatione iocus risusque expetatur et actio praeter exspectationem spectatorum mira reddatur. Tantum igitur abest, ut comicus ea, quae inducit in scenam, ex omnibus partibus iuste et aeque consideret atque ponderet, ut omnes res, quas sibi agendas eligit, ad ludibrium vertat et per superlationem mirifice adaugeat et exaggeret. Naturam

---

facit, ridens etiam fortasse, quod ille tragoedias aliis venditarit. Cf. Bergk l. l. p. 187. Dissen ad Pind. Isthm. II, p. 491.

igitur rerum quasi mancam et curtam spectatoribus proponit, neque illa, quae ludit, argumentis ex philosophia petitis probat, id quod ab omni poesi, quae res non abstractas, ut philosophorum verbis utar, sed tamquam concretas inducat, alienum est. Ex tota enim compositione et indole fabularum, quo iure comicus res ita agat, ut eas proponit, perspicitur.

Res igitur, ut iam antiqui statuerunt, maxime eo fiunt comicae, ut ea, quae ad animum mentemque pertinent, sensibus subiiciantur. Itaque poeta comicus omnia, quae sunt animi menteque intelleguntur, ita depravat, ut sub oculos spectatorum subiiciantur ab iisque quasi manu prehendantur. Cum igitur comicus unam potissimam cuiusque rei, quam agit, rationem ostendat, alias autem rationes illius rei parum respiciat, non mirum est, quod illae res, quas comici agunt, quam maxime verbis augentur et exasperantur. Quo fit, ut omnia, quae comicus inducit, ex una sola parte vera fideque digna sint; neque comicus id agit, ut sibi in omnibus rebus fides habeatur. Comicus ut res humanas depravatione adhibita imitatur, sic etiam personarum, quas inducit, imagine depravata ei opus est. Quare personas, quae partes agunt, non modo distortione et depravatione corporis ac deformi motu ridiculas lascivie iocorum ridentium circulis proponit, sed etiam mores, vitam personarum agentium ita imitatur, ut fini et consilio comici conveniat. Quamobrem comici singula vitia personarum per superlationem valde augent et exaggerant omniaque ad illa vitia referunt, ut tali modo personae illae comicae et ridiculae reddantur. Sine descriptione igitur imperfecta et quasi curta singularum vitae conditionum personarumque comoedia et ludicra comica fieri non potuerunt. Quod non solum ex comoedia Atheniensium, sed ex historia comoediae omnium populorum apparet. Iam rem illam comprobant ludicra illa mimique Lacedaemoniorum, quibus nomen est δεικηλισταί, qui res plebis infimae magna depravatione addita sunt imitati (Athen. XIV, 621 d), neque minus gypones et hypogypones illorum, vitia senum ridicule imitantes, illud ostendunt [87]). Eodem fere modo

---

87) Cf. Grysar: De comoed. Doriens. p. 18 seq.

αὐτοκάβδαλοι illi aliarum gentium Doricarum, *φαλλόφοροι* Sicyoniorum, *φλύακες* et *σοφισταὶ* Italarum gentium (Athen. XIV, 631) homines infimae sortis cum depravatione imitantur. Inde factum est, ut comoedia Romanorum, novam comoediam Atticam sequens, certas quasdam et definitas personas, quarum vitia ad cacumen quasi elata sunt, sibi comparaverit, veluti parasitos, servos voraces, pappos simplices, milites gloriosos, leves iuvenes, meretrices, ut etiam in Atellanis certae illae personae, quales sunt macci, buccones, pappi, dossenni reperiuntur. Neque nostra comoedia personis quibusdam, quarum mores depravatione ridiculi reddantur, carere potest. —

Omnia, quae adhuc de natura comoediae exposuimus, etiam ad comoediam veterem Atticam pertinent. Quae comoedia cum grandem et magnificum iocum appetat personasque summo ardore res ineptas et vilissimas sequentes inducat; non iniuria a multis viris doctis parodia tragoediae est dicta [88]), cuius quidem argumenta et verba ad ridiculam sententiam detorqueat. Quamquam igitur sermo verborum novorum plenus et versus et saltationes iocosa et ridicula sunt, tamen non iocum solum (*τὸ βωμόλοχον*) petit, sed pro natura poesis totius antiquitatis spectatores etiam docere vult [89]), quo fit, ut iocis serium intexat; ad quam rem iam chorus, qui quasi symbolum argumenti est gravissimasque sententias pronuntiat, multum affert et parabasis illa, qua comicus chorum de se consilioque fabulae dicentem quidque sibi videatur de reipublicae statu proferentem facit [90]). Comoedia enim vetus Attica maxime ad rempublicam spectabat neque vitae privatae conditionique familiarum locum concedebat; quod mirum esse non potest, cum Periclis aetate, qua comoedia Cratino comicorum principe [91]) florere coepit, res publicae Atheniensibus maximae fuerint curae vitaque privata pro natura totius antiquitatis recesserit [92]). Quo factum est, ut comoedia At-

---

88) Cf. Schlegel: Vorles. über dram. Kunst p. 204 seq.

89) Cf. Lehrs: de Aristarch stud. Hom. p 252.

90) Colster: de parabas. p. 4. Hermann. Jen. Lit. Zeit. 1842 n. 112.

91) Cf. anon. *περὶ κωμῳδ.* (edit. Aristoph. Bergk. p. 26).

92) Non dubium est, quin, priusquam Athenis ad populum totum imperium redierit, etiam comici veteres Athenienses singulos vitae privatae status irri-

tica munere quasi censorio fungens et omnia, quae contra salutem reipublicae fiunt, perstringens, spectatoribus imaginem depravatae reipublicae quasi sub oculos subiiciat et omnibns perversitatibus, quae in republica sunt, locum concedat. Summo igitur odio comici illos perstringebant, qui rempublicam male gerebant [93]). Iam ipsum Periclem Cratinus, Teleclides, Hermippus, Aristophanes rident [94]). Acerbissime autem in illos plebis duces invecti sunt, qui Periclem sunt secuti. Perstringuntur demagogi et pravi oratores, veluti Cleonymus [95]), Pamphilus [96]), Agyrrhius [97]), Phrynondas [98]), Theramenes [99]), Alcibiades [100]), Euathlus [1]), Neoclides [2]), Phrynichus [3]), Pisander alii. Nullam occasionem populo prava istorum ducum et oratorum studia et consilia commonstrandi, praetermiserunt. Ita unumquemque comici notabant, qui crimen contra rempublicam committebat ducesque pravos populi adiuvabat [4]); rident igitur delatores illos

---

serint, ut vel postea comoediae Cratis, Pherecratis al. magis ad vitam privatam et fabulas aliorum poetarum ridendas, quam ad rempublicam spectabant. Eodem modo apud Megarienses tyrannis Ol. 45 expulsis comoedia quasi politica est facta, quamquam iam Maeso ludicra illa comica, personas coqui et servorum inveniens, (Athen, XIV. p. 659) ad ridendas res domesticas reduxit Grysar. l. l. p. 16. Meineke histor. crit. com. Gr. p 22.

93) Cf. Donat. fragm. de com. et trag. init. Platon. περὶ κωμῳδ. Egregie O. Müllerus (Dorer T. II, p. 359): Die Attiker waren nach Aristophanes zu urtheilen fast einseitig practisch, und eine gewisse im Leben entstandene Ueberzeugung, was dem Volke fromme, bildete den Ausgangspunct ihrer Komik.

94) Cf. Plut. Cim. c. 10. Pericl. 3, 8. 13, 16. schol. Arist. Acharn v. 513.

95) Cf. e. g. Arist. Equitt. v. 1292, 1371. Vesp. 822. Ach. 300. Pac. 446, 675. Av. 290.

96) Cf. Arist. Plut. v. 174, 385.

97) Eccles. v. 102, 184.

98) Ran. v. 680.

99) Ran. v. 970.

100) Cf. Eupol. Βαπτῶν fragm.

1) Cf. schol. Vesp. v. 595.

2) Cf. Eccles. v. 254, 398. Plut. 665.

3) Ran. v. 690.

4) Nota sunt verba Horatii Sat. I, 4, 1—5. Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est, Si quis

clandestinos, quos Graeci *συκοφάντας* vocabant [5]), hariolos ac fatidicos et pravos sacerdotes [6]), qui populum defraudabantur. Non dubium est, quin iam istorum hominum vitia, quos obiter tantum commemorant, per superlationem adauxerint. In demagogos autem illos, qui apud populum maxime valebant, totas fabulas conscripserunt. Quare fieri non potuit, quin, cum populus diebus festis Bacchi iocum appeteret, comicus depravatam illorum imaginem traderet. Nam in eo maxime cernitur vis et natura veteris comoediae Atticae, quod, cum media comoedia heroas fabulasque deorum Homeri et tragicorum in peius et ad ridi

---

erat dignus describi, quod malus ac fur, Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui Famosus, multa cum libertate notabant Cf. Kannegiesser: Die komische Bühne zu Athen. P. 370 seq. Satis patet, talem comoediam non esse nisi in republica, quae summa libertate utitur et in qua comici et histriones homines sunt ingenui. Romae enim Naevius summos homines ridens in vincula est coniectus. Ibi histriones despiciebantur, neque civis Romanus sese a vili histrione rideri passus est. Lucilius tamen, ipse eques Romanus, satiris comoediam veterem imitatus est eique licitum fuit, omnia notare, quae contra bonos mores erant. Cf. O. Jahn Proleg in Pers. p. LVI. Hor. Sat. I, 4; I. 10. Ceterum constat, comoediam Atticam veterem nullam habuisse vim ad excolendam comoediam Romanorum. Nam quod Plautus dicitur Hor. Epist II, 1, 58: Dicitur Afrani toga convenisse Menandro, Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi: huic sententiae non refragatur. Nam illud Horatii ad facilitatem et festivitatem sermonis et diverbiorum, qua in re Plautus Epicharmi similis fuerit, sicut ad metra maximeque ad versum trochaicum tetrametrum ab Epicharmo non minus neglegenter, quam a Plauto adhibitum spectat, neque Plautus argumentorum iocositate et in iocis spargendis petulantia ab Epicharmo multum distare videtur. Cf. Grysar. l. l. p. 302. Ceterum ipsae Epicharmi fabulae propius ad naturam mediae comoediae accedunt, quam ad veterem comoediam Atticam, cum Epicharmus, ut poetae mediae comoediae, argumenta, quae ad mythologiam pertinent, tractaverit vitamque plebeiam imitatus sit, atque philosophiae ipse non ignarus et dialectica disceptandi ratione ac dialecticis argutiis et crebris antithetis delectans philosophos, veluti Eleatas et Pythagoraeos, disputantes induxerit. Diog. L. II, 9—17. Grysar. l l. p. 214, 300. V. Schmidt: Quaest. Epich. p. 43, 56 Epicharmum, qui procul dubio magnam vim in excolendam comoediam Atticam exercuit, etiam Crates imitatus sit. Cf. Welcker: Kleinere Schrift. I, p. 316.

5) Cf. e. g. Ach. v. 818 seq. 691. Vesp. v. 73, 1265. Av. v. 1410 seq. Plut 850 seq. Eccles. 439 seq. Wachsmuth Gr. Alterth. I, 2. p. 154 seq.

6) Cf. e. g. Equitt. v. 122, Pac. v. 1051 seq Av. 520, 864 seq. 988.

culum argumentum vertat [7]), nova autem singulos homines obscuros vitae privatae ridicule imitetur, vetus illa comoedia homines, qui summa auctoritate usi sunt, sed reipublicae perniciosi videntur, ita depravatos, ut omnino ridiculi fiant, agentes inducit. Itaque ut comicus omnia, quae ad mores pertinent, sic proponit, ut sensibus subiiciantur, — omnes enim res ad sensus refert, neque res, quae sensibus percipiuntur ab iis quae ad mentem moresque spectant, accurate distinguit —, ita etiam homines illi, in quos comoedias conscribunt, sic deformentur et proponantur necesse est, ut vitia, errores, stultitiae eorum quasi ad sensus adducantur manuque prehendantur talique modo sint personae comicae [8]). Quare quos comici veteres rident, eorum vitia in nimium augent et amplificant stultitiasque ipsas aliorum, qui quodammodo illorum similes sunt, illis tribuunt, cum comici non minus pravas sententias, quam homines ridere velint [9]). Quo fit, ut summi duces populi comicis omnia, quaecumque illorum similes commiserunt, plectantur. Sic Aristophanes Cleonem istum vilem demagogum, postquam eum iam in Babyloniis maxime

---

7) Poetae quidem mediae comoediae ab irridendis singulis non plane abstinent, sed rident barbaros quosdam regulos et poetas et philosophos. Cf. Meinek. hist. crit. com. Gr. p. 174 seq. 430. Sed cave, ne credas fabulas illas veteris comoediae, quibus sunt tituli mythologici, a rebus publicis ridendis alienas esse. Sic Cratinus in Chironibus et Ulyxibus acerbe reipublicae administrandae rationem risit. Cf. Bergk l. l. p. 46, 219 seq., quamquam tales fabulae tum doctae sunt, cum libertas comicorum legibus coercita est. Cf. Meineke Quaest. Scen, I, 34 seq.

8) Egregie naturam comoediae Atticae perspexit Plato, qui in Sympos. c. 16—20 Aristophanem mytho naturam amoris comice exponentem facit, quamquam, ut comico convenit, non ab omnibus partibus et numeris vim et naturam amoris descripsit, tamen omnes, qui ante illum dixerunt, superat. Bene Susemihl (Ueber die Compos. des Platon. Gastmahls, Philol. VI. p. 196 seq.) de Aristophane dicit: Es ist hier, wie dort (sc. in seinen Komoed.) der reiche Geist ohne philosophische Tiefe, der die Mängel des Seienden wohl durchblickt, doch ein höheres nur ahnt, welches nicht klar hervortritt, weil der Geist des Dichters vermöge seiner Phantasie zu sehr ins Sinnliche gebannt ist.

9) Cf. Süvern: Ueber Aristoph. Wolken p. 22 seq.

vexavit [10]), in Equitibus acerbissime ridet. Inducit illum servum *Δήμου*, qui, dum alios servos Demosthenem et Niciam deprimit, *Δῆμον* dominum ex arbitrio regit eumque omnibus fere rebus privat (vocat eum v. 246 *πανοῦργον καὶ ταραξιππόστρατον καὶ τελώνην καὶ φάραγγα καὶ χάρυβδιν ἁρπαγῆς*) omnique modo decipit herum, donec botularius quidam, qui eum furtis, turpitudine, libidinibus, sceleribus, adulationibus, promissis superat, illi imperium aufert et tum moribus mutatis *Δῆμον* recoquit, ut pro futuro sapiat. Omnia igitur vitia demagogorum populique comicus Cleoni tribuit. Eodem modo mores Hyperboli Eupolis in Maricante descripsit, Plato [11]) Cleophontem sic depingit in fabula, quam ab eo inscripsit, in Amphiarao Pamphilum. Omnia, quae istos homines ridiculos et invisos reddere poterant, afferebant. Cleoni artem sordidam obiiciunt, Hyperbolo [12]) originem obscuram mendosumque sermonem, Cleophontem [13]) rident ut barbarum. Ut singulos populi duces depravatione adhibita rident, ita etiam vitia civibus communia perstringunt. Proponunt spectatoribus imaginem civitatis maxime ridiculam omnibusque illorum libidinibus in comoediis locum concedunt. Etiam hac in re depravationi et superlationi magnum locum esse apparet, quippe cum comici omnes res ad sensus spectatorum admoveant. Sic Aristophanes cupiditatem civium iudicandi ridet, dum senem decrepitum inducit, studio iudicandi et triobolorum ita incensum, ut, cum filius vitium illud detestans eum custodiat ad effugiendum in varias figuras sese mutet, cum amici ei senes, qui vesparum naturam imitantes aculeo sunt praediti, ut quemlibet pungant, a vitio illo liberati sint, ille tamen non potest, quin vel de animalibus domesticis iudicium ineat. Cupiditatem belli gerendi ridet in Acharnensibus, senes Acharnenses inducens Dicaeopoli iratos, quod pacem cum Lacedaemoniis fecerit, qui illis bona pacis

10) Cf. Ranke Arist. vit. I, p. 329 seq. Nub. 586. Vesp. 242, 596. Ach. 300, 503, 659.

11) Cf. Bergk. l. l. p. 386 seq.

12) Cf. e. g. Nub. v. 551, schol. Plut. 1037.

13) Ran. v. 679. Röttscher: Aristoph. und sein Zeitalter p. 109 seq.

ostendit et ridicule illis persuadere studet, bellum eo esse conflatum, quod iuvenes Athenienses Megaris meretricem et Megarenses Aspasiae duas meretrices abstulissent (cf. v. 524 seq.) [14]). Spes miras et ineptas, quibus Athenienses indulgebant idque maxime parata expeditione in Siciliam, taediumque vitae conditionis illorum, quibus nunquam satisfiat, ita ridet in Avibus, ut duos Athenienses, Euelpidem et Pisthetaerum, cum avibus in aere urbem condentes inducat, in qua neque deorum, neque hominum ratio habetur [15]); eodem fere modo in Ecclesiazusis comicus inepta consilia spesque miras Atheniensium ridet, mulieres inducens de salute reipublicae deliberantes, quae, ut omnes res ipsaeque feminae civibus sint communes, decernunt [16]). Vitia mulierum, amores illarum et ebrietatem comicus in Thesmophoriazusis ridet [17]). Tali igitur modo vitam civium comici ridicule oculis spectatorum subiiciunt, qua in re maximas depravationes adhibent. Apparet etiam ex exemplis allatis, in quanto errore versentur, qui comicos ad verbum secuntur neque fictioni illi magnae comici multum tribuunt.

---

14) Pacis amoris causa poeta etiam Lysistratam, in qua fabula uxores maritos ad pacem cogunt, conscripsit, sicut Pacem, in qua Trygaeum, qui pacis amantes repraesentat, in scarabaeo, veluti Bellerophontem, coelum petentem et deam pacis deportaturum inducit.

15) Simili ratione vanas Atheniensium spes risisse videtur Eupolis in fabula, cui est titulus: χρυσοῦν γένος, cf. Bergk l. l. p. 361, Crates in Feris, Pherecrates in fabulis, quae sunt inscriptae Μεταλλεῖς et Ἀγαθοὶ ἢ ἀργυρίου ἀφανισμός, Cratinus in Divitiis (Πλούτοις) Bergk. p. 118, 278, 288. Satis enim constat, illodum tempore multos Athenienses putasse, auream aetatem, cuius Croniis recordabantur, esse redituram.

16) Platonem rideri non puto; nam Ol. 96, 4, quo anno Ecclesiazusae est acta, Platonis sententiae, quas in libris de republica exponit, nondum notae fuerunt. Adde, quod poeta illum apertius risisset, si id sibi proposuisset.

17) Equidem puto, Thesmophoriazusas potissimum ad Euripidem ridendum esse conscriptam. Vitia enim mulierum comicus maxime risit in fabula, quae appellatur: Θεσμοφοριάζουσαι δεύτεραι. Vereor autem, ne fabula inscripta fuerit Θεσμοφοριάσασαι, cum in lasciviis libidinibusque deridendis, quas mulieres festo die tertio Δημητρὸς θεσμοφόρου, postquam pietati in deam satisfactum est, sibi concedebant, versata sit; etiam Demetrius Troezenius (Athen. I, 29 a) testatur, fabulam fuisse inscriptam Θεσμοφοριάσασαι.

Ut comici novam reipublicae administrandae rationem rident, sic morum maiorum sunt tenacissimi eorumque laudatores, et omnia, quae ad maiores spectant, in bonam partem accipiunt. Saepissime igitur res a maioribus gestas commemorant et virorum summorum, veluti Themistoclis, Miltiadis, Aristidis, Myronidis mentionem iniiciunt populumque admonent, ut illos sequatur [18]). Sic Eupolis in fabula, cui inscriptum est *Δῆμοι*, Miltiadem, Aristidem, Solonem, Periclem ex inferis reductos pravam reipublicae gubernandae rationem populumque, qui mores maiorum abiecerit, reprehendentes [19]), Cratinus in Legibus Solonem de legibus dicentem et Atheniensium novas leges ridentem inducit [20]). Itaque non mirandum est, quod singulos cives, qui moribus veteribus relictis nova ratione consuetudineque vitae novisque moribus utebantur, ipsosque eos, qui sibi vestes a consuetudine alienas induebant, vehementer rident [21]). Quamobrem etiam educationem novam liberorum, qua iuvenes luxuriae et fallacibus dicendi artibus dediti prorsus effeminentur pietatemque in deos abiiciant [22]), notant, neque minus populum, quod a pietate religioneque maiorum alienus peregrinis deorum cultibus, veluti Cotyttiis Thraciis locum concedat [23]). —

Non minus, quam demagogi, philosophi comoediae aptae sunt personae quae rideantur, cum profano vulgo docti non raro speciem ridiculam praebere videantur. Philosophi igitur iam

---

18) Cf. e. g. Arist. Equit. v. 560, 605, 780, 818, 884, 1334. Vesp. v. 710, 1060. Ach. v. 181, 702.

19) Cf. Meineke Quaest. Scen. I, p. 44 seq. fragm. com. Gr. (edit. min.) p. 172 seq. Bergk. l. l. p. 346.

20) Cf. Bergk. l. l. p. 135.

21) Cf. Kannegiesser l. l. p. 473 seq.

22) Cf. Nub. v. 960—1080.

23) Cf. Av. 805 seq. Sic Eupolis in Baptis Alcibiadem eiusque socios nocturnis conviviis Cotyttiorum sacrorum turpitudinem et obscoenitatem imitantes inducit. Videant, ne, qui comicos iocum solum appetisse ducunt, errent. Quamquam iam viri eruditi antiquitatis naturam comoediae veteris parum intellexerunt, veluti Aristoteles, qui in Eth. ad Nicom. veteri comoediae iocum et ridiculum, novae sententias (ὑπόνοιαν) tribuit. Plane ineptit Plutarchus de glor. Ath. c. 5.

eo ridiculi sunt visi, quod plerique illorum vitae ratione habituque a consuetudine discedebant. Desides homines et umbratici putabantur, qui studiis pravis civitati maximae essent perniciei et pietatem in deos populi evertentes nova numina inducerent moresque iuvenum corrumperent eosque ad luxuriam, mollitiem, omnem nequitiam adducerent, ut neque leges neque instituta patriae vererentur, sed subrostranei veteratores ac nebulones litium essent cupidi. Quam ob causam Aristophanes eique aequales comici [24]) iam valde rident praecepta Anaxagorae [25]) et impii Diagorae [26]). Eodem modo Meto mathematicarum artium peritus, quoniam illae artes doctorum umbraticorum inutiles moribusque perniciosae hominibus morum maiorum tenacibus videbantur, ridetur. Cf. Av. v. 932 seq. Sic Cratinus Hipponem philosophum in *Πανοπταῖς* fabula ridet, qua fabula omnino philosophos, qui omnia investigare et perspicere vellent, lusisse videtur [27]). Acerbissime sophistas, qui rerum sublimium meteororumque investigatores ridiculi ac loquaces nebulones iuvenes fallaces dicendi artes doceant legesque contorquentes efficiant, ut iniuria iure sit superior, talique modo sibi divitias comparent [28]), notant. Sic Eupolis in Corvis sophistas inprimisque Protagoram inducit, bona Calliae, quem adulationibus sibi conciliaverunt, abligurientes. Dicit de Protagora:

ἔνδοθι μέν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήιος,
ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος περὶ τῶν
μετεώρων, τὰ δὲ χαμάθεν ἐσθίει [29]).

Aristophanes in Tagenistis sophistas sic ridet:

---

24) Jam. schol. Nub. v. 96: *πρῶτον μὲν γὰρ Δίφιλος εἰς Βοίδαν τὸν φιλόσοφον ὁλόκληρον συνέταξε ποίημα, δι' οὗ καὶ εἰς δουλείαν ἐῤῥυπαίνετο ὁ φιλόσοφος.* Vereor ne pro *Δίφιλος* legendum sit *Μύλλος*, qui aequalis Epicharmo floruit circa Ol. 73.

25) Cf. Thesm. v. 5—25. Nub. 370—400.

26) Cf. Av. v. 1072. Ran. 320 seq. Bergk. l. l. p. 169 seq.

27) Cf. schol. ad Nub. v. 96, quo l. pro Cratete Cratini nomen est reponendum. Cf. Nub. v. 95—98.

28) Cf. Welcker: de Prodico Ceo (Kleinere Schr. II, p. 412 seq.).

29) Diog. L. IX, 50. Meinek. fr. com. p. 187 seq.

τοῦτον τὸν ἄνδρ' ἢ βιβλίον διέφθορεν
ἢ Πρόδικος ἢ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς γέ τις [30]),

et Eupolis artes illorum dicendi verbis notat:

ἀδολεσχεῖν αὐτὸν ἐκδίδαξον, ὦ σοφιστά [31]).

Natura autem comoediae, quod ad hanc rem attinet, maxime cernitur ex Nubibus Aristophanis, in qua fabula comicus Socrati in lecto suspenso versanti et inania et nubes captanti [32]) praecepta physicorum Eleatarumque philosophorum [33]) et artes sophistarum, quibus iustus sermo minor sit iniusto, attribuit, qui filium Strepsiadis viri simplicis et rustici artes illas docet, quibus hic vel omnem pietatem in patrem abiicit. Accurate inquirere, quomodo singula opprobria in Socratem quadrent, inutile et fere ineptum est. Poeta enim, qui id sibi proposuit, ut iuventutis corruptelae causas explanaret [34]), quas cum aliis comicis ad philosophos refert, ut C. F. Hermannus et Rankius recte iudicant [35]), Socratis imaginem ita depravare debuit, ut consilio suo et comoediae naturae satisfaceret. Neque distinguunt poetae comici verum philosophum a sophista, neque artem dialecticam Socratis, quae est ars veri inveniendi, ab artibus dicendi sophistarum [36]). Cum igitur Socrates multis rebus et ipso habitu a consuetudine Atheniensium recederet, iuvenesque artem dialecticam doceret,

---

30) Cf. Meineke Quaest. Sc. II, p. 24. Cratinus sophistas ludit: οἷον σοφιστῶν σμῆνος ἀνεδιφήσατε.

31) Etym. M. p. 213.

32) Eo quod Nubes chorum faciunt, allegoricam illam philosophorum interpretationem pro diis individuis abstractas, q. v. ideas introducendi alludit.

33) Cf. Grothius de Socrat: Arist. p. 100 seq. Traj. ad Rhen. 1843.

34) Cf. Vesp. v. 1037—1045.

35) Cf. C. T. Hermann de Arist. Nub. in Jahn. Annal. Suppl. II, f. 3 a. 1833, p. 46. Ranke Arist. vit. p. 427 seq. (Infirmas autem rationes ad defendendum Aristophanem vir egregius affert in comment. de Nub. Arist. p. 10 seq., Berl. 1844 (progr.). Cf. Welcker: Arist. Nub. interp. Germ. p. 190, 213.

36) Cf: K. O. Müller: Gesch. d. gr. Lit. (ed. II), P. II, p. 234 seq. Non possum, quin apponam verba viri summi (p. 268): Die Kritik der mittleren Komoedie über Philosophen war ganz andrer Art, als die, welche Aristophanes gegen Socrates ausübt, und die ganz von den Forderungen des practischen Lebens ausging.

comicis, qui omnino philosophiam nisi obiter non habent cognitam, speciem sophistae praebuit, quo factum est, ut illum qui apud nobilissimos iuvenes multum valeret, philosophorum fere omnium, qui tum erant, sententias, quibus boni cives maxime offendebantur, profitentem faceret [37]). Alii enim comici non minus ridendam Socratis imaginem proponunt; Eupolis Socratem ut *μεριμνοφροντιστὴν* et *ἀδολεσχὴν* inducit, qui inanibus rebus studeat. Dicit:

μισῶ δὲ καὶ τὸν Σωκράτην τὸν πτωχὸν ἀδολεσχήν,
ὃς τ'ἄλλα μὲν πεφρόντικεν, ὁπόθεν δὲ
καταφαγεῖν ἔχοι, τούτου κατημέληκεν [38]) et al. l.
δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπίδειξιν (*ᾄδων* [39])
Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν.

Quod trullam surripuisse dicitur, ita intelligendum est, ut Socrati, qui vanis studiis sese dedat et rem familiarem neglegat, non sit, quo famem toleret [40]). Atque veterem comoediam sequentes etiam poetae mediae comoediae Socratis discipulos, ut Platonem et Academicos [41]) ridebant, quamquam illi tali modo fere solum iocum petebant. Poetae igitur comici veteres, se haec studia frustra impugnare non intellexerunt, minimeque Aristophanes, qui philosophiam non duxit dignam, cui civis Atheniensis operam navaret, (cf. Ran. v. 492) et quod ad hanc rem attinet, Catoni

---

37) Cf. Forchhammer: Socrat. und die Athener, p. 24, 40. Bötticher: Arist. und sein Zeitalter, p. 247. Süvern: Arist. Wolken, p. 30 seq.

38) Cf. Diog. L. II, 27. Etym. M. p. 18, 8.

39) Cf. schol. ad Nub. v. 96, 179. Refero hoc fragm. sicut illud, quod antea laudavi, ad *κόλακας* Eupolidis.

40) Idem significant Nub. v. 176—179:

κατὰ τῆς τραπέζης καταπάσας λέπτην τέφραν
κάμψας ὀβέλισκον, εἶτα διαβήτην λαβὼν
ἐκ τῆς παλαίστρας θ'οἰμάτιον ὑφείλετο.

Amici enim Socrati teste Platone philosopho argentum aliasque res dabant. Eodem modo ridet Amipsias in Conno Socratem. Cf. Diog. L. II, 27. Bötscher l. l. p. 286 seq.

41) Cf. Diog. L. III, 22. (Cobet. III, 26).

illi maiori est comparandus, qui non aliter atque Aristophanes mores maiorum defendens philosophis maxime resistebat [42]. — Cum Athenienses (φιλόλογοι) summo amore litterarum flagrarent, ita ut vel minimum sermonis mendum notarent [43] et musicae litterarumque ratio cum reipublicae statu artissime cohaereret, etiam ex litteris et arte musica poetae comici argumenta comoediarum petierunt. Morum igitur maiorum laudatores gravesque modos veteris musicae amantes, illos poetas, qui novum genus chordarum sonorum, cuius modi erant molles, accipiebant, et ad hanc rem poesim mollem accommodabant, valde perstringebant. Quamobrem poetae dithyramborum, ut Phrynis Lesbius [44], auctor novae artis musicae, Timotheus Milesius, Philoxenus [45], Cinesias [46], Lampros [47], Meles, Chaeris [48], ridentur. Contra quos Aristophanes Simonidis carmina laudat, neque Alcaei, Anacreontis, Sapphus carminibus laudem detrahit. (Athen. XV, p. 690). Gravissimam autem censuram fabularum tragicorum agunt comici [49]. Rident maxime eos tragicos, qui novis artis musicae modis utuntur et fabulis res immiscent, quae a gravitate tragoediae sunt alienae moribusque periculosae, quorumque tragoediae praecepta philosophorum et sophistarum artesque demagogorum redolent. Itaque Agatho [50] ille subtilis et

---

42) Cf. Gell. N. A. VII, 14. Plin. VII, 32. Polyb. 35, 14. Plut. Cato c. 22, 23.

43) Cf. Ran. v. 305.

44) Nub. v. 971. Bode Gesch. der hell. Dichtk. II, p. 303.

45) Cf. Vesp. v. 84. Pherecrat. ἀγρίων fr. (Meinek. p. 116).

46) Cf. Av. 1371 seq. Gerytad. fr. ap. Athen. XII, p. 551.

47) Cf. Athen. I, p. 40.

48) Cf. Pherecrat. l. l.

49) Satira quoque Romana a poetis ridendis non est aliena, sic Lucilius et poetas Graecos, veluti Euripidem philosophiae causa (Gell. VI, 28) et Romanos, ut Pacuvium aliosque (fr. V, 29; XIX, 9) ridet, quod Persius imitatur sat. I. Cf. Jahn Proleg. in Pers. p. 51, 56, 57. Ritschl: parerg. Pl. p. 195.

50) Egregie comicus mollem Agathonis poesim in Thesm. (v. 40—165) ad naturam comoediae depingit. Etiam in Thesm. sec. (Anecd. Bekk. p. 440, 4 καὶ κατ' Ἀγάθωνα ἀντίθετον ἐξευρημένον (recte enim pro ἐξευρημένον O. Jahn. ad Pers. I, 85 ἐξυρημένον substituit) et in Gery-

gracilis ridetur, quod novam musicam sequatur et tenui dicendi genere sophistarum antithesibus, translationibus, flosculis conspicuo utatur et pro gravitate pompam (κομψότητα) appetat, cui poesi Aristophanes etiam mores Agathonis accommodatos facit. Etiam alii poetae novi tragoediae ut Theognis [51]) frigidus, Carcinus eiusque filii Xenocles, Xenotimos, Xenarchus [52]), Philocles [53]), Morsimus [54]), Pythangelus [55]), alii, quorum tragoediae sint frigidae vel sophistas sapiant, notantur. Sunt autem comici a partibus veterum tragicorum; laudant igitur Thespidem [56]) et Phrynichum [57]) maximeque Aeschylum et in omnes poetas tragicos invehuntur, qui a vetere arte tragica alieni novis rebus in arte tragica favent.

Postquam igitur naturam ac rationem comoediae maximeque veteris Atticae exposuimus, facile apparebit, quomodo talem crisim, qualis est in Ranis, de poetis tragicis a poeta summo comico institui necesse fuerit. Jam patet, nihil esse perversius, quam si quis iudicium de tragicis omnibus numeris absolutum ducat illudque ad verbum sequatur. Poeta enim comicus, ut munere suo fungeretur, et Aeschylum et Euripidem ita induceret, ut personae vere comicae essent, necesse fuit. Quo fit, ut ad exponendam comice naturam tragoediarum Aeschyli et Euripidis poesim illorum quasi sensibus et oculis subiiciat singulisque sententiis iocum admisceat. Quae laudanda aut vituperanda comico sunt visa, per superlationem mirifice augere debuit. Poetae enim comico non erat licitum, argumentis subtilibus e philosophia petitis naturam illorum proponere, sed ab una potissimum

---

tade (cf. fr. 3) poesim Agathonis risit. Atqui verba in Ran. Ἀγάθων ἀγαθὸς ποιητὴς ironice sunt dicta a Baccho, qui illis iudicium sophistarum et qui illis favebant, de Agathone pronuntiat.

51) Cf. e. g. Ach. v. 11.

52) Vesp. v. 1500 seq. Pac. 864.

53) Cf. Meinek. fr. com. II, 226.

54) Cf. Equit. v. 401. Pac. 801, 1010. Ran. 151.

55) Ran. v. 86.

56) Vesp. v. 1470.

57) Av. v. 749.

parte illi tragici erant iudicandi. Itaque comico, ut imaginem depravatam personarum posset proponere, duabus opus fuit personis, quarum poesis sic esset instituta, ut iustum modum aliquam in partem excederet. Atque cum comoediam veterem maxime ad rempublicam spectare intellexerimus; poetas tales comicus suo iure induxit, qui in fabulis a rebus publicis sese non plane abstinerent. Quae cum ita sint, Aristophanes non potuit personas ad comoediam aptiores eligere, quam Aeschylum et Euripidem, ut, quam vim in reipublicae statum exercerent, comice exponeret.

Aeschylus enim, qui illo tempore aetatem degebat, quo Graeci omnes magnitudine animi et virtute excelsi, summas res perficiebant sibique immortalem pariebant gloriam, tragoedias, quae tali civium animo convenirent, conscripsit [58]). Pindari similis gravitatem maxime petit, quamquam etiam lenitas, si poetae illa opus est, eum non deficit tenerrimisque sermonibus scit uti, ut Eumenides et voces illae tenerrimae Oceani filiarum in Prometheo ostendunt. Sed utut est, grandem cothurnum maxime adhibet et Phidiae illi comparandus est, cuius artem in illum vim exercuisse etiam ex eius tragoediis cognoscitur. Quae gravitas sermonibus maximeque choris saepe supra modum extensis conspicua etiam cernitur in personis, quas agentes inducit, quae animum bellicosum spirantes gigantum speciem prae se ferunt et contra fatum illud divinum ipsorum facinoribus productum pugnantes animi magnitudinem probant, quamvis saepe modum excedant, ut mulieres Aeschyli, quae ad naturam virorum propius accedunt, ostendunt. Fabulae Aeschyleae produnt virum bellicosum, qui ipse summis rebus interfuit [59]). Perfectam speciem virtutis in fabulis proponit. Ex gente Eupatridarum Eleusiniorum originem ducens sententias illorum contra nimiam libertatem defendit. A

58) Cf. O. Müller: Gesch. d. Gr. Lit. II, 10.

59) Pugnae ad Marathonem illum affuisse, testantur Pausan et auct. vit. Aesch. Illum etiam apud Salamina pugnasse, Ion in ἐπιδημίαις docet cf. schol. Pers. v. 129. Quod frustra impugnat Ritterus Did. opus. p. 158. Jam indoles fabularum illud comprobat. Cf. Gorg. ap. Plut. Quaest. Symp. VII, 10.

partibus stat Aristidis, qui ei tamquam imago est viri rerum civilium periti, quem vel in Persis pugnam Salaminiam describens celebrat [60]) cf. v. 448—472. Veterum morum tenacissimus est et cives saepe adhortatur, ne ab illis discedant, cuius rei, quae quidem ex omnibus fabulis, ut ex Persis et Supplicibus, apparet, summo testimonio Eumenides fabula est [61]), quam conscripsit, ut consilio Periclis eiusque sociorum Areopagi tollendi resisteret, quamobrem cives valde adhortatur, ne instituta et mores maiorum omittant, quod cum frustra esset, Athenis migravit [62]). Eodem modo religionem et sacra maiorum diligentissime observat et mysteriis initiatus summa pietate erga deos utitur. Maxime carmina chorica divino spiritu inflata deos celebrant; neque est ullus poeta, qui gravius magnificentiusque Jovem ceterosque deos cecinerit [63]). Fabulis a maioribus traditis fidem non denegat. Namque licet illas non ad litteram, ut aiunt, sequatur et eas, ut genealogias, q. v. Deorum interdum mutet, hoc non eam ob causam fit, quod fabulis illis nullam omnino fidem habeat, sed quod obscuriores intellectu sint naturaeque deorum minus conveniant. Itaque Aeschylus acutissimo ingenio praeditus illas interdum mutat, id quod ne a Pindaro quidem alienum est [64]). Etenim iam Aeschyli aetate sententiae philosophorum Athenis propagatae sunt, quae in talem virum, qualis erat Aeschylus, procul dubio vim exercebant neque dubitandum est, quin Pythagorae et Jonicorum philosophorum sententiae ei notae fuerint. Quantus enim philosophus poeta est in Prometheo et in Eumenidibus, in quibus fabulis summa ingenii acie pugnam Jovis numinumque moralium, ut ita dicam, contra deos naturales exponit [65]). Sed cave, sententias eiusmodi impietati tribuas poetae,

---

60) Eiusdem mores Amphiaraos in Sept. adv. Th. (v. 570—594) repraesentat.

61) Cf. Aesch. Eum. v. 862 seq. 977 seq.

62) Cf. Ran. v. 820. Mnemosyne, I, p. 261—275.

63) Cf. e. gr. Sup. v. 525 — 600. 625 — 708. Clausen theol. Aesch. p. 2 seq.

64) Cf. e. g. Pind. Ol. I, v. 28 seq. (B.).

65) Cf. Welcker: Aesch. Tril. p. 104 seq. Schoemann Proleg. ad Prom.

qui, quamquam ingenio ad philosophandum accomodato et arguto praeditus fuit, tamen moribus, institutis sententiis maiorum deditus fuit, quo fit, ut fabulae eius moribus civium optime prospiciant et salutem reipublicae augeant. Quae si reputamus, nonne poeta comicus summa admiratione et laude dignus est, et officio poetae comici optime satisfecit, quod Aeschylum ab omnibus artibus sophistarum alienum gravitatem, dignitatem, mores maiorum repraesentantem virumque omnino bellicosum virtuteque insignem inducat illumque magistrum virtutis et imaginem fortitudinis Euripidi garrulo opponat? Quid mirum, quod poeta comicus in demagogos persaepe invehens illum, qui nimiae libertati plebis et ducibus pravis inimicus sit, cum Euripide, cuius fabulae comico imperium multitudinis redolere videntur, pugnantem faciat? Atqui quatenus gravitas et tota ratio fabularum Aeschyli modum excedant, pro more comicorum egregie docet, neque illa, quae in fabulis illis mira sunt, celat, quamvis etiam in illis, quae Euripides ei obiicit, Aeschylum defendere videatur, quippe qui antiquitatis laudator in Aeschylum virtutes aetatis eius conferat. —

Patet etiam ex natura comoediae, quo factum sit, ut Sophocles perraro commemoretur neque certaminis tragicorum particeps sit. Sophocles exemplar est perfecti poetae et in omnibus partibus tragoediae iustum quasi medium tenet. Summus investigator animi nec minus res humanas quam amoenitates naturae perspiciens studet maxime in fabulis suis picturam psychologicam, ut philosophorum verbis utar, proponere et dignitatem et magnitudinem hominis ac rationem, quae deos inter et homines intercedat, ostendere. Mores personarum, quas inducit, graves quidem sunt et probi, sed naturam hominum non excedunt, ut personae Aeschyleae, id quod maxime probant feminae Sophoclearum fabularum, veluti Deianira, Antigona, Electra. In nullo scriptore indoles et mores Graeci tam excellentes cernuntur, quam in Sophocle, viro amabili optimisque ingenii facultatibus praedito. Quas ob causas imaginem Sophoclis depravare et ad circulos ridentium adducere, comico non erat licitum, cum Sophoclis tragoediae et spectatoribus et Aristophani vitiis carere sint visae. Accedit, quod, dum Aeschyli et Euripidis fabulae

rebus publicis locum concedunt, Sophocles omnes fere res, quae ad rempublicam pertinent, omittit[66]. Suo enim iure Jon in commentariis (ἐπιδημίαις) ap. Athen. XIII, 604 d: τὰ μέντοι πολιτικὰ οὔτε σοφὸς οὔτε ῥεκτήριος ἦν, ἀλλ' ὡς ἄν τις εἷς τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων.

Quo fit, ut Sophocles in comoedia vetere Attica primas vel secundas partes agere non posset, quippe quae illos homines maxime in scenam inducat, qui aliquo modo in rempublicam vim exercere et mutatae reipublicae administrandae rationi aut favere aut palam adversari videntur. Tum Sophocles moribus et institutis maiorum omnino deditus fuit neque, cum fidei maiorum esset tenax, philosophorum sententias illi contrarias accepit. A philosophando enim de rebus divinis abhorret, cum, ut leges religionis exerceantur pietasque hominibus cordi sit, summopere studeat. Quare ne fabellas quidem superstitiosas, nec vulgi sententias et opiniones de diis contemnit[67]. Talem igitur ac tantum poetam comicus summus, nisi leges poesis comicae et sinceri iudicii neglegere vellet, cum Euripide certantem inducere non potuit neque cuipiam facile persuadeatur, in Musis Phrynichi Sophoclem cum Euripide certasse, quod ex exiguis fragmentis, quae extant, Meinekius, V. eximius facilius collegerit[68], quamquam Musas mortem Sophoclis flevisse fabulamque in laudibus illius multum esse versatam, certum est. Aristophanes quidem eo, quod illum certamine quasi superiorem putavit, satis ostendit, quanti virtutem eius tragicam aestimaret. —

Jam ad Euripidem transimus. Poetam comicum, cum in illum

---

66) Multi viri docti imprimisque Schoellius (vit. Sophocl) eo peccarunt, quod multas res, quae in Sophoclis fabulis commemorantur ad reipublicae Atheniensis conditionem referunt, etiamsi interdum ad reipublicae tempora respicit, veluti Philoct v. 385 seq, Aias. v. 1045—1150, q. l. mores Spartanorum notat, ibid. v. 347 ubi laus chori Salaminii ad illos Salaminios referenda est, qui a partibus Atheniensium fuerunt. Simili modo in Oedipo Col. singula ad reipublicae tempora spectant. Quae tamen sententiam Jonis irritam non reddunt.

67) Cf. Fr. Peters: Theol. Sophocl. Monast. 1845, p. 3 seq.

68) Cf. hist. crit. com. Gr. p. 157.

Ranas conscripserit, poesim illius maxima depravatione adhibita spectatoribus proponere, apparet. Vitia igitur Euripidis a comico augeri et e mure fieri elephantum, ut aiunt, necesse fuit. Ut in Socratem omnia, quae in philosophis ridicula visa sunt, confert, sic etiam Euripides comico omnium perversitatum, quae in tragoediam illius aetatis irrepserant, poenas dat. Quamobrem Aristophanes, argumentis e philosophia et artium disciplina ascitis, naturam poesis Euripideae, si munere comici fungi volebat, exponere non potuit, sed poesim illam oculis spectatorum subiici et quasi concorporari et ea, quae maxime videbantur mira in fabulis Euripidis, ridicule exponi necesse fuit, unde sequitur, ut iudicium non in omnem partem verum sit. Optime chori et prologi, quos comicus imitatur, quomodo vitia augeat, ostendunt. —

Poeta igitur comicus Euripidem, qui iam eo, quod a vetere arte tragica alienus, novis rebus in tragoedia, veluti arti musicae Timothei [69]) favebat, comico persona apta, quae rideatur, fuit, maxime demagogum et sophistam in scenam inducit et ridicule in eum omnia vitia, quae illi in civitatem induxerunt, confert. Quod, quo iure fiat, paucis est adumbrandum.

Euripidearum fabularum ratio et natura eo maxime ab illis Aeschyli et Sophoclis differt, quod in fabulis non inducit homines in summis vitae rebus libertatem suam contra fatum divinum vel numen ipsum vindicantes et defendentes, sed id maxime studet, ut mores, sensus, cogitationes hominum, quales sint, exponat et quomodo homines mentis ipsorum indole fortunam vitae sibi comparent, ostendat, id quod rationi sentiendi subiectivae, quam sequitur, optime convenit [70]). Itaque fabulas ad mores et studia aetatis accommodavit. Fabulae igitur redolent tempus turbulentum et imperium, in quo omnia ad nutum arbitriumque vulgi reguntur [71]), cum efficere studeat, ut fabulae spectatoribus placeant [72]). Depingit enim in fabulis mores sui saeculi. Jam sermo

---

69) Cf. Hartung Eur. rest. I, p. 444 seq.

70) Cf. Aristot. Poet. c. 5. Sequitur sententiam Schilleri: In deiner Brust sind deines Schicksals Sterne.

71) Cf. Welcker: Arist. Ran. p. 253.

72) Bene Goethius noster: Schon fange ich an zu begreifen, wie Euri-

eius subtilitate oratoria figurisque variis ornatus illud Euripidis studium ostendit. Tragoediis suis multa inserit, quae ad rempublicam spectant, quamobrem τὸ πολιτικὸν Euripidis saepissime ab antiquis scriptoribus commemoratur [73]. Heroes, quos inducit, moribus Atheniensium ducum populi solent uti; sunt homines varii, veteratores, pravi oratores. Sic Ulysses in Troadibus (v. 770 seq.) et in Hecuba (v. 245 seq.) veterator more Cleonis est, Iason in Medea perfectum sapit sophistam (v. 520—573), Menelaus magis comica persona, quam tragica est, ignavum, effeminatum, libidinosum hominem sese praebet (cf. Andr. v. 430 seq. Orest. 746 seq. Hel. 985 seq.), qua re Atheniensibus, Lacedaemoniorum hostibus placere studet. Cum genere rhetorico, quod quidem pro natura civitatis Atheniensium a nullo poeta tragico plane abest, maxime utatur, orationes etiam et decertationes de iure ad normam earum, quales Athenienses in iudiciis et comitiis populi, quibus quotidie intererant, audiebant, intexuit [74]. Sic in Hecuba Argivi consilium ineunt, num Achilli hostia sit offerenda, in quo consilio duo Athenienses mores sophistarum prae se ferunt (cf. v. 115—145); in eadem fabula Polymnestor et Helena coram Agamemnone, qui quasi partes γράφεως ἀποσταθέντος agit, de iure, quo Hecuba mortem Polydori filii ulta sit, decertant; in Oreste Tyndaris et Orestes concertant, utrum hic iure Clytaemnestrae matri mortem intulerit, an iniuria (cf. v. 485—600); ibidem Argivi comitia instituunt, quae totam formam ac rationem comitiorum Atheniensium imitantur et ex concionantibus unus vel Cleophontis Atheniensis demagogi speciem fert [75],

---

pides von der reinen Kunst seiner Väter herunterstieg und doch den grossen Beifall erhielt, d. h. die Art des Zeitalters riss ihn mit Gewalt fort zu gefallen, verständlich zu werden. Nicht er war vermuthlich unfähig, die Individualität von Aeschylus und Sophocles oder Phidias zu begreifen, sondern seine Zeitgenossen.

73) Cf. Boeckh: de Gr. tr. princ. c. 14—15.

74) Cf. Ellendt: de tragic. Gr. imprim. Euripid. ex ipsor. aetate et tempor. iudicandis aequaliumque iudiciis. Regiom. 1827 (progr.) p. 11.

75) Cf. v. 860—940. Dicit Euripides ad Cleophontem spectans:

ἀνήρ τις ἀθυρόγλωσσος, ἰσχύων θράσει, Ἀργεῖος οὐκ Ἀργεῖος ἠναγκασμένος
θορύβῳ τε πισυνός κἀμαθεῖ παῤῥησίᾳ.

in Supplicibus Theseus et nuntius ab Argivis missus de optima civitatis conditione disputant (v. 390—450), in Heraclidis simili modo inter se rixantur Jolaos et Copreus praeco (v. 135—235); ridicule fere Hecuba et Helena in Troadibus iurgio contendunt coram Menelao iudice, utrum Helena supplicio sit digna necne (v. 907—1026). Quae cum ita sint, Euripides, quamquam ipse a rebus publicis alienus in demagogos haud raro invehitur [76]) nec patriae amore caret [77]), in irrisiones comicorum incurreret, necesse fuit, quippe qui oratores pravos et qui illis favent, maxime irrideant. Quid igitur mirum, quod Aristophanes illud ita auget, ut Euripidem demagogum tamquam perfectum inducat, qui iuvenes artes sophistarum doceat, et efficiat, ut Athenae demagogis compleantur, praesertim cum Euripides non raro maiorem orationem et minorem (*κρείττω καὶ ἥττω λόγον*) spectatoribus proponat. Adde, quod Euripides etiam nuntiis saepe orationes nimis longas partesque honestas attribuit, quippe qui, cum omnia ad mentem hominis referat et ex sapientia sola ac virtute homines esse iudicandos iuraque nata omnibus hominibus esse censeat, multo dignius de servis, quam quisquam alius scriptor antiquitatis sentiat [78]). Athenienses autem moribus maiorum addicti, apud quos natura praevaluit et qui in omnibus rebus civitatis fere solius rationem habuerunt, illam sententiam Euripidis probare non potuerunt. Itaque non est mirum, quod comicus, qui illorum sententias defendit, Euripidem, quod nullarum personarum delectum habeat, irridet. Euripides igitur cum maxime sensus, appetitus, motiones animi in personis suis proponat, ut ipse profitetur [79]), animos spectatorum movere et misericordia

---

76) Cf. ex. gr. Orest. v. 764, 904. Hec. v. 253, 864; Hipp. 489, 985; Phoen. 1020; Sup. v. 480—485; Troad. 967; Bac. 268. Ad poetam ipsum spectant verba Antiop. fr. 23 *ἀνὴρ γὰρ ὅστις — μολπαῖσιν ἡσθεὶς —· ἀργὸς μὲν πόλει γενήσεται.* Cf. Valck. Diat. p. 254 seq.

77) Euripidis patriae amorem summopere laudat Lycurg. in Leocr. c. 23 (Osann).

78) Cf. Hec. v. 330. Androm. 628. Alc. 785. Jon. 865. Bac. 1015. Hel. 730 al. F. A. Goebel: Eurip. de vit. priv. ac domest. quid senserit. Monast. 1849, p. 58 seq. et q. l. l.

79) Cf. Med. v. 190 seq.

afficere studet, qua in re eximia sane tragici virtus cernitur. Egregie quidem, ut exempla afferam, animum maternum Iocastae erga filios in Phoenissis depingit (cf. v. 300—355); quanta admiratione nos afficit Oedipus amore illo, quo filios mortuos, quos vivos exsecratus est, amplectitur v. 1700 seq.; nullus tragicus animum pietate in patrem et fratres clariorem descripsit, quam quo Antigone Euripidis utitur. Tota Alcestis praeclara familiae pictura est. Quod tamen studium Euripidis comico, qui vitam domesticam a scena abesse vult, ridiculum est visum, quamobrem res minutas, quas non raro tragoediis infert Euripides, maxime respiciens *οἰκεῖα χρήματα* ridet, quae Athenienses a rebus magnis avocent et ad res viles advertant. Illo studio etiam fit, ut Euripides animi perturbationes libidinesque singulari virtute describat [80]) et amor in fabulis eius latius vagetur; sic optime quidem inducit Phaedram amore in Hippolytum furentem, quamquam speciem Atheniensis peste aegrotantis ducit. Cf. Hipp. v. 205—240. Comicus autem pro natura comoediae illam rem non iudicat ex legibus artis, sed solum spectat, quatenus moribus et reipublicae obnoxia esse possit, quocirca Euripidi obiicit, illum spectatores prava facinora docere et opprobriis, quae in feminas coniiciat, moribus illarum esse perniciosum, quamvis illas interdum summopere laudet et dignius de illis et matrimonio statuat, quam aequales [81]), quod comicus, cum Euripides iusto saepius pravas mulieres inducat, non respicit. Suo etiam iure comicus, quod Euripides ad animos concitandos heroas misero vitae statu inducit, ut Menelaos in Helena est mendicus, Electra agrestis hominis uxor, comicus ita vertit, ut Euripides cives paupertatem simulare doceat et illa re plebi placere studeat.

Maximam autem vim in indolem fabularum Euripidearum et in crisim ab Aristophane de iis institutam studia philosophiae ex-

---

80) Cf. Schlegel Vorlesungen über dramat. Kunst etc. I, p. 206 seq. Jacobs (ad theor. Sulzer.) V, 1, p. 374 seq. Solger: Nachgelas. Werke II, p. 529 seq. Valcken. Diat. p. 170.

81) Cf. e. g. Hec. 1160. Androm. 275, 920, 930. Hipp. 420. Med. 570. Iph. T. 1032. E. v. Lassaulx: Die Ehe bei den Griechen (Akad. Abhandl.) p. 414 seq. Goebel. l. l. p. 27 seq.

erc(u)erunt, quibus Euripidem valde dedisse operam constat. Sophistis enim, imprimis Protagora et Prodico familiari consuetudine usus est [82]). Cui familiaritati Euripides procul dubio genus dicendi subtile sermonemque antithesibus, isocolis variisque figuris, ut verbo respondeat verbum, ornatum debuit. Atque etiam eo Euripides illos imitatur, quod artem dialecticam in tragoediam inducit nec raro in res in utramque partem inquirit. Immo in derivandis verbis et accurato usu vocum synonymarum poeta dialecticus vestigia sophistarum, qui cum grammaticae tum etymologiae studebant [83]), secutus est [84]). Atqui multae sententiae in fabulis Euripidis reperiuntur, quae illi communes sunt cum sophistis [85]). Quare non est mirum, quod comici illum sophistam duxerunt. Attamen Euripides verus est philosophus. Cum Socrate ei maxima fuit familiaritas [86]) et tam multae sententiae ambobus sunt communes, ut philosophus Euripidem in conscribendis tragoediis adiuvare sit dictus [87]). Neque philosophia Heracliti Ephesii Euripidi ignota fuit, quocum quidem de tristi vitae statu et fragilitate rerum humanarum consentit [88]). Ne multa, disciplinam omnium fere philosophorum, qui tum degebant, cognitam habuit. Maxime autem philosophiae Anaxagorae fuit deditus, cuius discipulus vel mores eius suos fecisse dicitur [89]). Et tantum abest, ut studia philosophiae Anaxagorae celet, ut illa persaepe commemoret et vel Melanippae praecepta,

---

82) Cf. Gell. XV, 20. Welcker: Kleinere Schr. T. II, p. 462. Hart. Eur. rest. I, p. 129 seq.

83) Cf. L. Spengel: Synagoge technon p. 60 seq.

84) Sic ex. gr. in Antiopa ridiculo fere modo originem nominum Ζήθου et Ἀμφίονος exponit. Cf. Antiop. fr. 2 (Matt.) quod ridet Aristophanes in Thesm. sec. fr. 304. Ed. Müller: Eurip. popul. deorum contemtor. Vratisl. 1826, p. 19.

85) Euripides ex. g. contendit, virtutem doceri posse. Cf. Sup. v. 923, Thes. fr. 5. Welcker Kl. Sch. l. l. p. 509 seq. Bernhardy: Gr. Lit. II, p. 864.

86) Cf. Clem. Al. Strom. p. 634.

87) Diog. L. II, 18. Valcken. l. l. p. 25. Bouterweck: de philos. Eur. in comment. Soc. Gott. rec. Vol. IV, p. 28 seq. (1817).

88) Bernhardy: Hal. Encycl. Vol. XXXIX, p. 136 not. 18, p. 137 not. 20.

89) Gell. XV, 20.

quae disciplinam Anaxagorae sapiunt, ex quibus aether (αἰθὴρ, Ζεὺς) animans mens est et numen divinum, cuius amplexu terra semina recipit et per se procreat omnia, ita ut omnia, cum emori videantur, in suum quodque revertatur, corpus, et quae terrae sint, ad terram, mens ad aetherem, attribuat [90]). Cum igitur Euripides studiis Anaxagorae, quae ad naturae rationem pertinebant, sese dederit, fieri non potuit, quin sacra publica contemneret deosque maiorum esse fictos putaret. Ille νοῦς Anaxagorae purus aether [91]) ei summus est deus et a sese deos vulgi contemni, sexcenties affirmat [92]). Quamquam, si de Euripide ex legibus christianis iudicamus, negandum non est, illum rectius de deo sensisse, quam aequales, quippe qui sententiis illis, ex quibus dii ad naturam et formam hominis accedunt et iisdem vitiis, quibus homines, sese inquinant, quam maxime adversetur libereque dicat: *εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσιν θεοί* [93]); suumque deum, qui parietibus non includitur [94]), νοῦν illum, qui omnia cernit, quamquam ipse non cernitur [95]), summis effert laudibus [96]), quamquam, ut non aliter fieri potuit, mentem etiam hominis nu-

---

90) Cf. Melan. τῆς σοφῆς fr. 6. Chrys. fr. 6. Valck. Diat. p. 19 seq. Hartung. l. l. I, p. 96 seq. Hasse: Euripid. philos. quae et qualis fuerit. Magdeb. 1843 (progr.) p. 5 seq. Studia sua poeta commemorat Herc. fur. v. 673. Iph. Aul. 798. Hipp. 375. Erecht. fr. 6.

91) Cf. fr. 1 inc. fab. (Matt. p. 362)

ὁρᾶς τὸν ὑψοῦ, τὸν δ'ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις·
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τὸν δ'ἡγοῦ θεόν.

Mel. fr. 7. fr. inc. 162. Reisig praef. ad Nub. p. 5 seq.

92) Dicit Melan. fr. 1. Ζεὺς, ὅστις ὁ Ζεὺς, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ κλύων. Cf. e. gr. Hec. v. 783. Or. v. 410. Hip. v. 120, 455. Troad. 470, 870. Ion. 455. Phoen. 86. Herc. fur. 1237. El. 80, 695, 708. Sup. 200. Ion. 450—460. Iph. T. 575, 730. Quamobrem Aristophanes in Thesm. τοὺς ἄνδρας ἀνεπέπεικεν, οὐκ εἶναι θεούς.

93) Cf. Mel. τῆς δεσμ. fr. 3.

94) Fr. inc. 153, 158.

95) Clem. Alex. Protr. p. 59. Valck. l. l. p. 44.

96) Pirith. fr. 2. inc. fr. 155.

minis participem facit [97]. Itaque etiam prodigia et ostenta in coelo animadversa, quae aequales ad deos referebant, praecepta Anaxagorae [98]) sequens, viribus naturae tribuit [99]). Et cum deos populi contemneret, deos patriae alienarumque gentium inter se miscere non dubitat, ut discrimen Cererem inter et Cybelam et inter Hecatam, Lunam, Proserpinam prorsus ignorat [200]); suo igitur iure comicus ei novos deos (ἑτέρους θεούς) tribuit. Fabulis a maioribus imprimisque ab Homero traditis fidem non habet; quas more sophistarum [1]) non raro per significationem quandam interpretari studet et ita invertit, ut studio suo spectatorum movendorum convenit [2]). Cum igitur philosophiam arctissime tragoediis intexat, mirum non est, sententias iusto plures de miseria hominis, de vi divitiarum et paupertatis, de sapientia ac virtute, de voluptate, de amicitia aliisque rebus in fabulis Euripidis reperiri, ita ut non raro istae commentationes ad nauseam usque portendantur tragoediaeque philosophiae Euripidis nimis inserviant.

Hisce expositis iudicium, quod Aristophanes de Euripide fert, neminem admiratione afficiet. Namque Euripides, cum philosophus esset philosophiamque tragoediae insereret, comico persona fuit aptissima, quam ad ridendum induceret, quoniam comici philosophos acerbe ridere solent, ut exposuimus. Itaque non est mirum, quod comicus, qui discrimen inter philosophum et sophistam cognitum non habet, Euripidem perfectum ac ridiculum sophistam facit, praesertim cum Euripides ab arte dialectica sophistarum non abhorreat [3]) in multisque rebus illos sequatur.

---

97) Cf. Valck. p. 236. Dicit poeta: ὁ νοῦς γὰρ ἡμῖν ἐστιν ἐν ἑκάστῳ θεός.

98) Cf. Diog. L. II, c. 3.

99) Valck. l. l. p. 30 seq.

200) Cf. e. g. Cretens. fr. 2. Hel. 1318. Ed. Müller l. l. p. 40.

1) Lehrs de Aristarch. p. 47 seq.

2) Cf. e. g. El. v. 730 seq. Tro. 965—980. Comicus Thesm. v. 912 ridet Helenam Euripidis, quam Stesichorum imitatus mutavit. Cf. Fritzsche ad l l.

3) Cf. e. g. Antiop. fr. 29 ἐκ παντὸς ἄν τις πράγματος δισσῶν λόγων ἀγῶνα θεῖτ' ἄν, εἰ λέγειν εἴη σοφός. Antig. fr. 2. Hip. vel. fr. 12.

Comicus igitur ex natura comoediae illam rem ita auget et vertit, ut in Euripidem omnia vitia, quae communia philosophis visa sunt, conferat omniaque, quibus sophistae reipublicae Atheniensium moribusque perniciosi esse credebantur, illi tribuat. Quamobrem illum pessimis hominibus amicum inducit, quorum mala facinora defendat ambiguasque sententias, quae male quidem intellectae bonos mores evertere poterant, odio sophistarum ductus in malum sensum detorsit. Ex eadem re repetendum est, quod comicus Euripidem adolescentes loquacitatem artemque rhetoricam sophistarum docentem et a palaestra virtuteque removentem facit, quamvis Euripides ipse interdum rationem liberorum educandorum maximeque artem gymnasticam reprehendat [4]), quippe qui, cum corpore et genere omnes, e terra communi patria profecti, inter se sint pares [5]), mente autem, quae de coelo in terram migraverit, differant, mentem maxime esse excolendam et ad sapientiam adducendam statuat [6]). Suo igitur iure etiam comicus Euripidem effecisse, ut Athenae pravis ducibus et oratoribus sint completae, dicere potuit. Ut philosophi omnes comicis fuerunt *ἀδολεσχαί*, sic etiam Euripidem sententia Aristophanis necesse fuit civem impigrum et ignavum (*ἀργόν*) esse, qui nihil ageret, nisi studia vana et inania, neque e vita communi peteret praecepta agendi, sed ut hominem umbraticum deceret, ex libris [7]) et disciplinis philosophorum. Et quoniam philosophi maxime in rebus divinis a sententiis populi recesserunt, fieri non potuit, quin comicus Euripidem valde rideret, quod opinionem deorum religionemque traditam evertere novosque deos inducere studeret, qua quidem re sententiis antiquorum artem tragicam depravari necesse fuit.

---

4) Cf. Autolyc. fr. 1. Hartung l. l. I, p. 284.

5) Cf. Phaeth. fr. 14. inc. tr. fr. 37.

6) Cf. e. g. Antiop. fr. 30, 31. inc. fr. 51. Alex. fr. 16. Dan. fr. 15. Melan. fr. 11, 10. Goebel l. l. p. 50 seq.

7) Cf. Ran. v. 953, 1423, 1512. Bibliothecam eius claram commemorat Athen Ep I, p. 3. Diog. L. II, 22. Meyer: comment. I. de Andocid. quae v. fertur, contra Alcib. orat. p. VII (prog. Hal. 1836).

Quae si consideraveris, quo factum sit, ut Euripides, qui iam eo, quod vestigia Aeschyli et Sophoclis non secutus novam viam ingressus est omnibusque novis rebus, quae tragoediae illatae sunt, veluti arti novae musicae Phrynidis et Timothei favet, vituperia comicorum fugere non potuit, acerbissime rideatur, facile intelleges. Egregie sane comicus conditioni ac naturae comoediae, quod tragoedias Euripidis ita compositas facit, ut mores et religionem maiorum extinguant et libidinibus plebis iudicandi et de summis rebus decernendi inserviant atque populum maximeque iuvenes fallaces dicendi artes doceant neque homines meliores reddant, sed eos effeminent, ut omnem virtutem civilem neglegant et publicis officiis sese subducant, suffecit. Quo factum sit, ut comicus poesim Euripidis tali modo describat illique Aeschyli potissimum artem tragicam opponat, magis intellegemus, si, quam vim reipublicae conditio in iudicium comici exercuerit, perspexerimus.

Caput III.

Quam vim reipublicae conditio et tempora in iudicium Aristophanis exercuerint.

Ut omnes fabulae Aristophanis maxime illa vitia, quae novissima in reipublicae administrandae ratione civiumque moribus sunt perspicua, ludunt, sic etiam in Ranis mores Aeschyli et Euripidis et naturam fabularum illorum describens, comicus saepius rerum novissime gestarum rationem iniicit. Jam Niebuhrius [8]) observavit, Aristophanem in Ranis ob res ante fabulam actam gestas, maiore hilaritate, quam in aliis fabulis uti. Recte quidem, neque, quin pugna illa apud Arginusas comicus in spem, fore ut malis moribus abiectis res publica non

---

8) Nieb. Vorles. über alte Gesch. II, p. 192.

minus floreret, quam Aeschyli aetate, venerit est dubium. Quamobrem iudicium de tragicis sic instituit, ut, quae in republica sententiae eius sunt vituperanda, in Euripidem deferat et Aeschylo contrario ei, quae utilia sint reipublicae, attribuat. Quod ut intellegamus, reipublicae conditionem brevissime exponemus.

Athenienses Ol. 93, 2 decem imperatores elegerant, quibus res militaris committeretur. Xen. Hell. I, 5, 16. Quorum Conon malo successu pugnam ad Mytilenam iniit et in portu Mytilenaeo est obsessus. Cf. l. l. I, 6, 19. Quae cum facta essent, Athenienses receptis in civitatem peregrinis et servis exercitum parant et novam classem instaurant, teste Diodoro XIII, c. 97: *οἱ Ἀθηναῖοι δὲ κατὰ τὸ ξυνεχὲς ἐλαττώμασι περιπίπτοντες ἐποιήσαντο πολίτας τοὺς μετοίκους καὶ τῶν ἄλλων ξένων τοὺς βουλομένους συναγωνίσασθαι. ταχὺ δὲ πολλοῦ πλήθους πολιτογραφηθέντος οἱ στρατηγοὶ κατέγραφον τοὺς εὐθέτους εἰς τὴν στρατείαν*, quocum consentit Xenophon l. c. I, 6, 25. *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι τὰ γεγενημένα καὶ τὴν πολιορκίαν ἐπεὶ ἤκουσαν, ἐψηφίσαντο βοηθεῖν ναυσὶν ἑκατὸν καὶ δέκα, εἰσβιβάζοντες τοὺς ἐν ἡλικίᾳ ὄντας ἅπαντας καὶ δούλους καὶ ἐλευθέρους.* Quod servi in civitatem sint recepti, comicus in Ranis saepius ridet eamque ob causam inducit Xanthiam hero suo Baccho illudentem [9]. Quamobrem comicus Euripidem acerbe perstringit, quod nullum personarum habeat delectum, cum Athenis a liberalibus et ingenuis parentibus natum esse, summo esset honori [10]. Quamquam Athenienses belli calamitatibus ad illam rem

---

9) Cf. v. 990 seq. v. 23. v. 191 Charon dicit:

δοῦλον δ'οὐκ ἄγω,
εἰ μὴ νεναυμάχηκε τὴν περὶ τῶν κρεῶν,

i. e. nisi pugnae navali de summa republica deque ipsa salute commissae interfuit.

10) Quare etiam Plato et Aristoteles in servos summam crudelitatem admittunt. Cf. A. Schmidt: de orig. servitut. p. I, p. 9 seq. (progr. Paderb.) C. Fr Hermann: Privatalterth. p. 55. Xenophon Rep. Ath. I, 10 seq. queritur, quod licentia servorum iusto sit maior, et indignatur comicus in parabasi, quod servi et peregrini Plataeenses sint facti i. e. quibus, ut Ol. 88, 2 Plataeensibus propter fidem Atheniensibus praestitam, quorum urbe Lacedaemonii devastarint, civitas Attica data est, sed non optimo iure.

coacti sunt, tamen patet, cives ipsos antea fortitudine illa ac virtute, quae fuerat maioribus, non esse usos et stipendia et munera, quae respublica iis imponebat, fugisse, cum comicus Euripidem rideat, quod, ut cives publicis muneribus maximeque navibus bellicis armandis et instruendis paupertatem simulantes sese subducerent, effecerit. Cf. Ran. 1015, 1065 [11]). Qua de re comico ut illud rideret duabus personis opus fuit, quales sunt Aeschylus et Euripides, quorum illum virum bellicosum virtutemque civilem docentem, hunc mollem et homines effeminatos et ab amore patriae alienos reddentem inducat. Postquam igitur tali modo classis navium centum quinquaginta instructa est, Athenienses, imperatoribus illis fortissimis utentes, apud Arginusas proelium ineunt et Lacedaemonios plane devincunt. Xen. Hel. I, 6. Diod, XIII, c. 99 seq. Post proelium imperatores Theramenem et Thrasybulum navibus quadraginta septem ad servandas copias, quae in duodecim navibus in mari agitatis erant, vela dare iubent. Xen. l. l. I, 6, 35. I, 7, 29. Diod. l. l. dum ipsi, ut Cononem liberent, Mytilenam sese conferant. Sed Theramenes eiusque socius tempestate magna exorta et immodestia militum prohibiti sunt, quominus naufragi milites servarentur, auctore Diod. l. l. c. 100: *ἐπεγενήθη δὲ καὶ χείμων μέγας, ὥστε σαλεύεσθαι τὰς τριήρεις καὶ τοὺς στρατιώτας διά τε τὴν ἐκ τῆς μάχης κακοπάθειαν καὶ διὰ τὸ μέγεθος τῶν κυμάτων ἀντιλέγειν πρὸς τὴν ἀναίρεσιν τῶν νεκρῶν.* Itaque comicus, ut illud notet, Euripidi, poetae dialectico, fallaces dicendi artes assignat, quibus iam vilissimi homines contra imperatores loquantur, qui Aeschyli aetate dicto obedientes fuerint; quare comicus v. 1071:

τοὺς παράλους ἀνέπεισεν
ἀνταγορεύειν τοῖς ἄρχουσιν, et v. 1076:
νῦν δ'ἀντιλέγει κοὐκέτ'ἐλαύνων πλεῖ δευρὶ καὖθις ἐκεῖσε.

Non ita multo post Archedemus Erasinidem, qui fuit inter impe-

---

11) Constat, iam ab Ol. 92, 2 binos Athenienses divites bellicam navem instruxisse, fortasse illo tempore etiam tali conditione Athenienses munus illud fugiebant. Cf. Boeckh: Staatshaush. I, p. 710. Schoemann Gr. Alterth. I, p. 465.

ratores, praeter alias res accusat, quod naufragos prodens officio imperatoris non suffecerit, et senatus etiam aliis quinque imperatoribus, qui tum Athenis erant, litem inferri iubet. Theramenes igitur ille, cui ut naufragos servaret, erat demandatum, quamquam imperatores tempestate et se et illum excusaverant, duces maxime accusavit. (Cf. Xen. Hel. I, 7, 3 seq.). Diodorus [12]) quidem illos culpam eius rei ad Thrasybulum et Theramenem contulisse affirmat. Utcunque est, Theramenem maxime effecisse, ut illi morte afficerentur, constat. Namque ita Diodorus l. l. c. 101: *ὅπερ μάλιστα αὐτοῖς αἴτιον ἐγενήθη τῶν κακῶν· δυνάμενοι γὰρ ἔχειν συναγωνιστὰς εἰς τὴν κρίσιν τοὺς περὶ Θηραμένην, ἄνδρας καὶ λόγῳ δυνατοὺς καὶ φίλους πολλοὺς ἔχοντας καὶ τὸ μέγιστον παραγεγονότας τοῖς εἰς τὴν ναυμαχίαν πράγμασιν, ἐκ τῶν ἐναντίων ἔσχον ἀντιδίκους καὶ πικροὺς καὶ κατηγόρους· ἀναγνωσθεισῶν γὰρ ἐν τῷ δήμῳ τῶν ἐπιστολῶν, εὐθὺς μὲν τοῖς περὶ Θηραμένην ὠργίζετο τὰ πλήθη· τούτων δὲ ἀπολογησαμένων συνέβη τὴν ὀργὴν πάλιν μεταπεσεῖν εἰς τοὺς στρατηγούς· διόπερ ὁ δῆμος προέθηκεν αὐτοῖς κρίσιν.* Atque cum imperatores, quamvis iis brevissimum temporis spatium sese defendendi sit concessum, populo se purgassent, viri, qui imperio paucorum favebant, quorum princeps Theramenes erat, ut iudicium differretur, vanis causis effecerunt. Tum Theramenes et socii eius omnia remedia, ut imperatores in invidiam odiumque populi adducant, adhibent. Illis auctoribus homines more heroum Euripidis, ut misericordiam et furorem populi concitent, consanguineos mortuorum et naufragorum simulantes vestibus lugubribus velati ad comitia conveniunt. Xenoph. l. l. I, 7, 8: *μετὰ δὲ ταῦτα ἐγένετο Ἀπατούρια, ἐν οἷς οἵ τε πατέρες καὶ οἱ ξυγγενεῖς ξύνεισι σφίσιν αὐτοῖς· οἱ οὖν περὶ τὸν Θηραμένην παρεσκεύασαν ἀνθρώπους μέλανα ἱμάτια ἔχοντας καὶ ἐν χρῷ κεκαρμένους πολλοὺς ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ, ἵνα πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἥκοιεν, ὡς δὴ ξυγγενεῖς ὄντες τῶν ἀπολωλότων, καὶ Καλλίξενον ἔπεισαν ἐν τῇ βουλῇ κατηγορεῖν τῶν στρατηγῶν,* quocum consentit Diod.

---

12) Cf. Lachmann: Gesch. Griechenl. vom Ende des Pel. Krieges bis zum Regierungsantritt Alexander d. Gr. p. 427—431.

XIII, 101. Et eodem modo vilem hominem, pro mortuis ultionem implorantem adducunt. Xenoph. l. l. I, 7, 11: *παρῆλθε δέ τις εἰς τὴν ἐκκλησίαν, φάσκων ἐπὶ τεύχους ἀλφίτων σωθῆναι· ἐπιστέλλειν δ'αὐτῷ τοὺς ἀπολλυμένους, ἐὰν σωθῇ, ἀπαγγεῖλαι τῷ δήμῳ, ὅτι οἱ στρατηγοὶ οὐκ ἀνείλοντο τοὺς ἀρίστους ὑπὲρ τῆς πατρίδος γενομένους.* Quibus artibus populus ira tam vehementer est inflammatus, ut, quamquam Euryptolemos aliique optime imperatores purgant petuntque, ut leges in iudicio observentur et singulis imperatoribus facultas sese purgandi detur et de singulis suffragium ab arbitris liberum ineant, imperatores sese defendere non sinant et publice suffragia ferentes capitis illos damnent. Ita enim Diodor. *ὡς δ' εἰς ἐκκλησίαν τὰ πλήθη συνῆλθον, τῆς μὲν κατηγορίας καὶ τῶν πρὸς χάριν δημηγορούντων ἤκουον, τοὺς δ'ἀπολογουμένους συνθορυβοῦντες οὐκ ἠνείχοντο τῶν λόγων.* Tali modo factum est, ut octo illorum imperatorum fortissimorum, qui corona erant digni, sex, qui aderant, capite deminuerentur (Diod. l. l. c. 102), cuius rei Athenienses non ita multo post sic poenituit, ut Callixenus et Cleophon auctores illius rei eam potissimum ob causam trucidarentur. Cf. Xen. l. l. I, 7, 35. Quae cum brevi ante Ranas fabulam actam sint facta, comicus, ut immodestiam militum in duces actionemque, quam populus imperatoribus intenderat, rideret, Euripidem ita inducit, ut *ποιητὴς δικανικῶν ῥημάτων* libidinibus ducum pravorum populi in tragoediis inserviat et nullum hominum discrimen faciat atque homines viles fallaces dicendi artes doceat et homines ad misericordiam excitare nimis studeat, dum Aeschylus ab omni mollitate alienus et imago civis Atheniensis boni cives ad virtutem et patriae amorem adducat, ut omnia munera publica et pericula pro patria subeunda libenter suscipiant. Nam procul dubio comicus etiam eo, quod Euripidis poesim mollem, quae omnino misericordiam spectatorum capere velit eamque ob caussam personis habitum miserrimum tribuat, valde perstringit, ad illas artes fallaces, quas Theramenes eiusque socii, ut iram populi in duces inflammarent, adhibuerant, spectat [13]) ex eaque re

---

13) Egregie Bacchus tenerrima Andromeda fabula lecta ad inferos descendit.

causa studii illius Euripidis ridendi est repetenda. Itaque etiam vehementissime invehitur in artem dialecticam sophistarum, quam Euripidi tribuit, cum Theramenes eique amici, ut ducibus interitum pararent, illa usi sint, quamobrem Theramenes Ceus, discipulus Socratis et Prodici (Diod. XIV, 5) magnus sane orator (Thuc. VIII, 68) sed homo varius et mutabilis, ita, ut κόθορνος appellatus sit, (Xenoph. Hell. II, 3, 31; 3, 47) discipulus Euripidis in Ranis appellatur, quippe qui artes illas perturbationum animi inflammandarum hominumque ad misericordiam concilandorum et dolos artemque dialecticam e tragoediis Euripidis in rempublicam transtulerit [14]). Iidem mores fuisse videntur Clitophonti, quem comicus etiam discipulum Euripidis dicit, cum discipulus Socratis et sophistarum philosophiam male adhibuisse, neque a rebus, quae post pugnam apud Arginusas secutae sunt, fuisse alienus videatur. Quae cum ita sint, non est mirum, quod comicus Euripidi illa, quae homines male gesserant, quales erant Theramenes et Clitophon, obiicit. Accedit, quod respublica tum hominibus erat commissa, qui omnes fere discipuli erant sophistarum et magnam in partem peregrini. Tales homines fuerunt ii, quos comicus in priore Ranarum parte ridet, veluti Archedemos, qui ipse peregrinus (Ran. v. 417) et curam gerens, ne a Lacedaemoniis urbi periculum esset, auctor litis, quam Athenienses ducibus illis intendebant, (Xen. Hel. I, 7, 1) fuit, quamvis philosophis quidem deditus turpibus moribus usus sit (cf. Xen. Mem. II, 9, 4) [15]), Cleophon iste peregrinus, qui semper paci resistebat (Ran. v. 680, 1532. Diod. XIII, 53. Lys. 30, 13) [16]), Cligenes (Ran. 709) homo turpis et mollis, sed multa praebens negotia [17]), Adimantos (Ran. 1513), discipulus sophistarum (Plat.

---

14) Theramenes primum imperio quadringentorum virorum favit, tum populum adulans imperium ad quinque millia civium detulit. (Thuc. VIII, 68, 89, 97, 26, 37, 41). Etiam Bacchus cum levissimum quemque Atheniensem tum maxime Theramenis mores repraesentat. Ran. 547. Cf. Ruhnken: hist. crit. orat. Gr. p. XL. Fritzsche l. l. ad v. 547, 968.

15) Cf. Meyer. comment. de Ran. P. II, p. 14 seq.

16) Cf. Meyer. l. l. III, 14. Kock ad v. 679.

17) Meyer. l. l.

Prot. 315 E), qui, postquam duces illi morti sunt traditi, simul cum Conone et Philocle imperator creatus post pugnam apud Aegos flumen patriam prodidisse fertur, (Xen. Hel. II, 1, 32. Lys. 14, 38. Paus. IV, 17, 3; X, 9, 11), Nicomachus scriba publicus (Ran. 1506), Archenomos, Myrmex, garruli scribae inferioris loci (cf. Ran. l. l.) Callias, sophistis amicus [18]), sed homo effeminatus et ridicula quadam vanitate [19]). Ad tales homines summo iure ea, quae Thucydides de ducibus populi, qui Periclem secuti sunt, dicit, referri possunt II, 65: *οἱ δὲ ταῦτά τε πάντα ἐς τοὐναντίον ἔπραξαν καὶ ἄλλα ἔξω τοῦ πολέμου δοκοῦντα εἶναι κατὰ τὰς ἰδίας φιλοτιμίας καὶ ἴδια κέρδη κακῶς ἔς τε σφᾶς αὐτοὺς καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐπολίτευσαν, ἃ κατορθούμενα μὲν τοῖς ἰδιώταις τιμὴ καὶ ὠφελία μᾶλλον ἦν, σφαλέντα δὲ τῇ πόλει ἐς τὸν πόλεμον βλάβη καθίστατο.* Pergit brevi post: *οἱ δὲ ὕστερον ἴσοι αὐτοὶ μᾶλλον πρὸς ἀλλήλους ὄντες καὶ ὀρεγόμενοι τοῦ πρῶτος ἕκαστος γίγνεσθαι ἐτράποντο καθ' ἡδονὰς τῷ δήμῳ καὶ τὰ πράγματα ἐνδιδόναι. κ. τ. λ.* Qui homines artes illas sophistarum revera ad rempublicam administrandam detulerunt. Itaque comicus peccata et crimina istorum hominum Euripidi adiudicans non solum Euripidem, sed etiam demagogos istos ridet. Quibus hominibus peregrinis ut imperium auferatur civibusque Atheniensibus generosa stirpe profectis optimarumque artium disciplina institutis daretur, comicus suavissime etiam in parabasi (v. 685 seq.) Atheniensibus persuadere studet. Suadet enim, ut illis, qui imperii CCCC hominum participes fuerint vel iis faverint, occasio se purgandi offeratur [20]). Itaque etiam Alcibiadem, qui ducibus pravis auctoribus in exilium est missus, revocandum esse statuit [21]), cum honestos tantum Athenienses urbem ab interitu vindicare posse, comico persuasum sit. Cui quoque rei maxime convenit, quod Aeschylum, qui est ex veteribus illis Atheniensibus et generosis civilemque virtutem

---

18) Eupol. *κολακ.* fragm.

19) Cf. Meyer. l. l. II, 16. Meinek. Quaest. Scen. I, 54. Ran. v. 428.

20) Cf. Meyer III, p. 16 seq.

21) Xen. Hel. I, 5. Ruhnken l. l. p. 43. Niebuhr l. l. p. 196 seq. Kock praef. in Ran. p. 6 seq.

tragoediis suis, veluti Persis, augere studet, opponit Euripidi, qui in tragoediis studiis pravorum oratorum nimis indulget [22].

Denique reputandum est, Athenienses bello Peloponnesiaco exeunte iam paullatim a vetere iudicandi et agendi severitate recessisse ac novos mores recepisse. Excelsus ille animus civilis, quo maiores erant inflammati, magis magisque evanuit virtusque maiorum est relicta [23]. Cives humilem quemdam animum prae se ferebant, cum suum solum commodum quaerentes sese summo odio vicissim persequerentur. Nemini, quae sentiebat, dicere erat licitum, cum omnibus cavendum esset, ne alii verba perperam interpretarentur. Stolidissima audacia, ut Thucydides (III, 82) dicit, fortitudo, circumspectio autem ignavia habebatur. Cum faex plebis mercedis causa trium obolorum, quam Agyrrhio auctore Athenienses concionantibus dabant, comitiis maxime adesset [24], omnia summo agebantur arbitrio et cives boni pravissimis hominibus cedere coacti sunt, ducesque pravi ac sycophantae populum ad stultissima consilia impellebant. Judiciorum, ubi Pericles, ut singulis iudicibus obolus daretur, legem tulit, quam mercedem Cleo et eius socii ad tres obolos auxerunt [25], Athenienses erant cupidissimi, ut Vespae Aristophanis ostendunt, neque iuris, sed mercedis rationem habebant, et, cum artibus sophistarum permulti sese dederent, optimos cives insidiis circumdabant. Educatio ita est mutata [26], ut iuvenes artibus dialecticis, quas philosophi maximeque sophistae docebant, gymnasiis relictis maximam navarent operam et ad temporum et naturae rationes cognoscendas sese converterent. Matrimonii et familiae conditiones in diem magis corrumpebantur [27]. Cum salute reipublicae

---

22) Apparet, Sophoclem comico non fuisse aptam personam, qua utens res novissime gestas perstringat, cum a rebus publicis alienus sit.

23) Cf. Heine: Libertatis et aequalitatis civil. in Ath. rep. delineat. ex Aristoph. opusc. acad. IV, p. 402 seq.

24) Cf. Boeckh: Staatshaush. der Athen. I, p. 323 seq.

25) Cf. Boekh l. l. p. 328 seq. v. Raumer: Vorles. über alte Gesch. I, p. 351.

26) Cf. Bernhardy: Wissensch. Syntax der griech. Spr. p. 4 seq. Gr. Lit. I, p. 52 seq.

27) E. de Lassaulx: Die Ehe bei den Griechen (Acad. Abhandl.) p. 453 seq.

religio et sacra publica arctissime cohaerebant [28]), quamobrem Athenis non minus, quam Romae, ne quis novas induceret religiones nisi iussu populi cautum erat. Cf. Flav. Ios. c. Apion. II, 38. Serv. ad Aen. VIII, 87). Sed bello Peloponnesiaco non modo nova sacra e Thracia et Phrygia, veluti Bendidis et Cotyttus sacra Athenienses petierunt [29]), sed etiam veteres deos neglexerunt, quod maxime philosophi, qui deos populi vires esse naturae contendebant et opinionem deorum ad sacerdotes et moderatores civitatium referebant [30]), effecerunt. Quo factum est, ut pietas in deos maximeque iuris iurandi fides ac reverentia in leges patriae magis magisque evanesceret, quam quidem rem historicus summus Graecorum Thucydides non ignorat, qui hanc rem bello procreatam valde dolet (cf. Thuc. II, 53). Quae — ne volumen dissertationis nimis accrescat, hanc rem h. l. longius exponere non licet — si accurate consideraveris, non mireris, quod comicus Euripidem, in cuius tragoediis tota illa mutata agendi ratio Atheniensium perspicitur, et cuius personae iusto saepius sunt Athenienses illi sophistarum artibus corrupti, cum tragicus ipse philosophis, quos comici imprimisque Aristophanes auctores perniciei ducunt, faveat et quod ad pietatem ac religionem veterem attinet, a pietate moribusque maiorum sit alienus, acerbissime perstringat et in eum culpam omnium fere malorum, quae in rempublicam redundarint, conferat, ut

---

28) Praeclare Lassaulx (Untergang des Hellenismus p. 150): In den Anfängen des hellenischen Lebens war es die Religion, welche den entwicklungsfähigen Keim seiner ganzen späteren Bildung enthielt; auf der Höhe des nationalen Lebens, in den Perserkriegen, war sie es, die den gewaltigen Kampf mitgekämpft und den ersten Antheil an der Siegesbeute erhalten hat, und als es Abend wurde in dem Lebenstage des Volks, haben an ihr nationale Herzen sich noch zu erwärmen versucht.

29) Cf. Strab. X, t. II, p. 364: Ἀθηναῖοι δ'ὥσπερ περὶ τὰ ἄλλα φιλοξενοῦντες διατελοῦσιν οὕτω καὶ περὶ θεούς· πολλὰ γὰρ τῶν ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο, ὥστε καὶ ἐκωμῳδήθησαν· καὶ δὴ καὶ τὰ Θράκια καὶ τὰ Φρύγια. Lobeck: Aglaoph. I extr. Bergk: com. Att. rel. p. 151 seq.

30) Cf. Krahner: Grundlinien zur Gesch. des Verfalls der Röm. Staatsreligion p. 11 (prog. gym. Hal.).

tali modo totam illam agendi rationem Atheniensium rideat. Atque suo iure Euripidi adversarium inducit Aeschylum quasi imaginem virtutum maiorum, qui ab aequalibus Euripidi, quod sentiendi et agendi rationem attinet, multum sane distant.

Caput IV.

Iudicium ab Aristophane institutum de tragoediae principibus cum aequalium iudicio comparatur.

Judicium Aristophanis, quod in Ranis de tragicis fert, quo melius intellegatur, necesse est, inquirere, quomodo cum aequalium iudicio conspiret vel dissentiat. Quod ad Aeschylum attinet, plerique Athenienses eum summa pietate coluerunt et gravem eius poesim, quae Bacchi magis et Martis, quam hominis esse videbatur, maxime sunt admirati, quamquam fabulas Aeschyleas omni vituperio carere non putaverunt. Parentis igitur tragoediae perenni poesi etiam tum valde sunt delectati. Quamobrem illis, qui fabulas Aeschyleas agere vellent, chorus publice est attributus et praemio illos, qui fabulas Aeschyli docebant, donaverunt, quamvis primum fortasse filiis solis et consanguineis Aeschyli fabulas agere licitum fuerit; attamen brevi post etiam aliis illud concessum esse testis est auctor vit. Aeschyl. *Ἀθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἠγάπησαν Αἰσχύλον, ὡς ψηφίσασθαι μετὰ θάνατον αὐτοῦ τὸν βουλόμενον διδάσκειν τὰ Αἰσχύλου χρυσὸν* (l. *χορόν*) *λαμβάνειν*, quocum consentit Philostr. vit. Apoll. VII, 6: *ὅθεν Ἀθηναῖοι πατέρα μὲν τῆς τραγῳδίας αὐτὸν ἡγοῦντο, ἐκάλουν δὲ καὶ τεθνεῶτα* (l. *ἐφίλουν*) *· τὰ γὰρ Αἰσχύλου ψηφισαμένων ἀνεδιδάσκετο καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς*; et schol. ad Arist. Ach. v. 10: *τιμῆς δὲ μεγίστης ἔτυχε παρ' Ἀθηναίοις ὁ Αἰσχύλος καὶ μόνου αὐτοῦ τὰ δράματα ψηφίσματι κοινῷ καὶ μετὰ θάνατον ἐδιδάσκετο*. Qua re Athenienses praeclarissime sunt testati, quanta admiratione Aeschylum amplecterentur, nam cum cives Aeschyli fabulas agendas curaverunt, So-

phocles et Euripides floruerunt. Quid? quod gloria Aeschyli effecisse videtur, ut consanguinei eius multis honoribus afficerentur; Euphorionem enim, filium Aeschyli, quater fabulis patris, quae Aeschylo vivo non erant actae, vicisse, tradit Suidas [31]) (s. v. *Εὐφορίων*). Et Euphorion vel Sophocli et Euripidi palmam cripuit [32]). Immo Philocles, quem poetae comici saepe rident [33]), Sophoclem vicit, cuius rei causam maxime ex eo repetam, quod filius sororis Aeschyli fuit, et, cum Aeschyli tragoediam potissime imitatus esse videatur, ita ut tetralogias etiam more Aeschyli, veluti Pandionem, Oedipodeiam, quarum ternae fabulae inter se cohaerebant et altera alterius praecipuum quoddam momentum continebat, quod aut sequentem fabulam indicaret aut praegressae memoriam esse retinendam aperte declararet, componeret, Atheniensibus maiorum moribus deditis placuit. Etiam Astydamas, nepos Aeschyli quindecim victorias reportavit, quem, quamquam celeberrimus ille [34]) poeta graves aemulos non habuit, gloria Aeschyli non minus adiuverit.

Ipsi pueri in conviviis ramos myrti gestantes carmina Aeschyli decantabant. Schol. Arist. Nub. v. 1367: *μυῤῥίνης γὰρ κλάδον κατέχοντες ᾖδον τὰ Αἰσχύλου, ὥσπερ τὰ Ὁμήρου μετὰ δάφνης* [35]) ad quem morem alludit Aristophanes dicens: *ἐν τοῖσι συνδείπνοις ἐπαινῶν Αἰσχύλον* [36]). Quae quamquam ita sunt, tamen non est dubium, quin Athenienses maxime morum maiorum tenaces, qui etiam tum erant multi imprimisque senes more maiorum educati Aeschylum carissimum habuerint, id quod ex Aristophane ipso sequitur. Strepsiades enim senex in Nubibus a filio petit, ut sibi carmina Aeschylea recitet (v. 1364 seq.). Dicaeopolis in Acharnensibus Aeschylum laudat (v. 10), Philocleon,

---

31) Auct. vit. Aesch. *οὐκ ὀλίγας* (sc. *νίκας*) *δὲ μετὰ τὴν τελευτὴν ἀπηνέγκατο.*

32) Cf. argum. Eur. Med.

33) Cf. argum. Soph. Oed. R. schol. ad Ar. Thesm. v. 175. Meineke: com. Gr. fr. II, p. 226.

34) Cf. Boeckh: de Gr. trag. princ. p. 32 seq.

35) Cf. Suid. s. v. *μυῤῥινᾶν*.

36) Geryt. fr. 7.

senex in Vespis, poesim Aeschyli sic amat, ut reum, qui carmen quoddam ex Niobe Aeschyli dicat, absoluturus sit (cf. v. 580 seq.). Quorum civium sententiam Pherecrates in Crapatalis proponit, qui Aeschylum suam artem praedicantem inducit: ὅςτις γ'αὐτοῖς παρέδωκα τέχνην μεγάλην ἐξοικοδομήσας [37]). Alios quoque comicos veteris comoediae a partibus Aeschyli fuisse, certum est. Juvenes autem, qui subtilitatem et elegantiam dictionis sophistarum valde amabant omnesque Athenienses, qui moribus maiorum relictis novam agendi et sentiendi [38]) rationem a philosophis introductam sequebantur, Aeschylum, cum fabularum virtutem non intellegerent, aspernati sunt et fabulas eius, ut Quintilianus ille, rudes et incompositas duxerunt. Namque ex sententia illorum hominum dicta sunt, quae leguntur in Nubibus a v. 1364—69. Strepsiades enim filio, qui in palaestra sophistarum exercitus est, sic maledicit:

τοιαῦτα μέντοι καὶ τότ' ἔλεγεν ἔνδον, οἷαπερ νῦν,
καὶ τὸν Σιμωνίδην ἔφασκ' εἶναι κακὸν ποιητήν.
κἀγὼ μόλις μὲν, ἀλλ'ὅμως ἠνεσχόμην τὸ πρῶτον·
ἔπειτα δ'ἐκέλευσ'αὐτὸν ἀλλὰ μυῤῥίνην λαβόντα
τῶν Αἰσχύλου λέξαι τί μοι· κᾆθ'οὗτος εὐθὺς εἶπεν·
ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς;
ψόφου πλέων, ἀξύστατον, στόμφακα, κρημνοποιόν·
κἀνταῦθα πῶς οἴεσθέ μου τὴν καρδίαν ὀρεχθεῖν;

Illorum sententiam Aristophanes etiam profitetur, dicens de Aeschylo: οἶμαι γὰρ αὐτὸν κόλλοπι ἐοικέναι [39]). Atque in Ranis comicus opprobriis, quibus Euripides Aeschylum cumulat, illorum hominum sententias ridet, ita ut iuvenum et Atheniensium novae

---

37) Cf. schol. Pac. v. 749. Dind. Arist. com. et fr. p. 514. Meineke: Qu. Scen. p. 34. Aeschylum etiam laudare videtur Pherecrates ap. schol. ad Thesm. v. 168, q. l. Philocles perstringitur:

εἰ δ'ἐστὶν, ἀλλ' ἡ τάλαινα Φιλοκλέα — β - δεν (Dind. coniecit λελύθημαι ὅθεν) οὖν,
εἰ δ'ἐστὶν Αἰσχύλου φρόνημ'ἔχων.

38) Cf. Quint. instit. orat. X, 66.

39) Cf. fr. inc. fab. 40. Puto, pro ἐοικέναι metri causa legendum esse προςεικέναι.

disciplinae addictorum iudicium profiteatur Euripides, Aeschylum vocans ἀγριοποιόν, αὐθαδόστομον, ἔχοντ' ἀχάλινον, ἀκρατές, ἀθύρωτον στόμα, ἀπεριλάλητον, κομποφακελοῤῥήμονα. Quin? etiam comicus Euripidem gravitatem et naturam poesis Aeschyli parum intellegentem inducens, illos homines magis, quam Euripidem ridet. Quare non est mirum, quod philosophi Aeschylo non favent, ut iam Plato ostendit, qui gravitatem Aeschyli parum intellegens, non minus Aeschylum quam Homerum ridet [40]).

Jam, quid aequales Aristophani de Euripide senserint, est videndum. Qui licet vivus etiam gloriam sapientis adeptus sit [41]) et Athenienses sententiis eius, quae ad philosophiam pertinent, valde sint delectati, ita ut multi versus tragici in ora hominum abirent, qua re in Sicilia, cuius incolae iam tum disciplinae sophistarum maxime dediti erant, magna Atheniensium pars vel minutissimas quasque frustulas fabularum Euripidearum recitans, vitam servasse dicitur [42]), et quamvis in tragoediis eius multa in partium favorem disserantur [43]), tamen, quod ad artem tragicam attinet, apud aequales minimam trium tragicorum laudem assecutus est, cum mutationes, quas arti tragicae intulit, plerisque iusto audaciores visae sint. Quae res optime probatur exiguo victoriarum, quas reportavit, numero neque iudices theatrales non populi sed suum iudicium edidisse putandum est [44]). Aetate enim iam provectus primum vicit, quo tempore mores maiorum magis magisque labefactati sunt et nova sophistarum disciplina a multis est recepta indeque non saepius, quam quinquies primus est renunciatus [45]). Deterioribus tragicis veluti Philocli, Xe-

---

40) Cf. e. g. Plat. de rep. II, 380, 334, 335, 381, 389, 398.

41) Cf. Arist. Nub. v. 1389 seq. Aeschin. c. Tim. p. 151. Spanheim. ad Ran. v. 789. Schultz vit. Sophocl. p. 171 seq.

42) Cf. Plut. Nic. c. 29. Grysar: de trag. Gr. circa temp. Dem. p. 15.

43) Boekh l. l. p. 175 seq.

44) Bernhardy: Lit. II, p. 665 seq.

45) Sec. marm. Par. primum vicit duodequadraginta annos natus Ol. 84, 3; sed ex argum. ad Hippol. apparet, Euripidem non ante Ol. 87, 4 primum esse renunciatum. Suid. s. v. Εὐριπίδης. νίκας δὲ εἵλετο ε, τὰς μὲν τέσσαρας περιών, τὴν δὲ μίαν μετὰ τελευτὴν, ἐπιδιδαξαμένου τὸ δρᾶμα τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Εὐριπίδου. Varro ap. Gell.

nocli [46]) non raro postpositus est. Sententias quidem Euripidis ad philosophiam pertinentes subtilemque eius artem dialecticam persaepe spectatorum indignationem in Euripidem movisse constat. Sic verba illa, quae leguntur in Hippolyto: ἡ γλῶττ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος magnum tumultum excitaverunt [47]), ita ut poeta poenam vix effugeret. Eodem modo ob versum Melanippae τῆς σοφῆς: Ζεύς, ὅστις ὁ Ζεύς, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ κλύων explosus reposuit: Ζεὺς ὡς λέλεκται τῆς ἀληθείας ὕπο [48]). Maxime Danae fabula spectatores Euripidi iratos reddidit, in qua fabula Bellerophonti laudes turpissimas divitiarum dat [49]) neque minus impia Ixionis verba spectatores exacerbaverunt [50]). Omnes enim, qui maiorum institutis, moribus, fidei sunt dediti, Euripidis fabulas reiiciunt; sic Trygaeus laudator maiorum in Pace Euripidem contemnit (Pac. v. 531) neque minus Strepsiades in Nubibus in Euripidem invehitur (Nub. v. 1371). Itaque comici et veteris comoediae et mediae, qui hac in re consuetudinem veterum comicorum secuntur, ita ut etiam ex illis indicandi ratio, quam, quod tragicos summos attinet, aequales Aristophani observarunt, cognoscatur, Euripidem vehementer ludunt. Maxime poetae comici veteris comoediae Aristophanem sequentes philosophiam Euripidis, quam tribuit personis agentibus, ri-

---

XVII, 4: Cum quinque et septnaginta tragoedias (alii auctores nonaginta duas ei assignant) scripserit, in quinque solis vicisse (fertur), cum eum saepe vincerent poetae ignavissimi.

46) Ael. V. Hist. II, 8 γελοῖον δὲ (οὐ γάρ) Ξενοκλέα μὲν νικᾶν, Εὐριπίδην δὲ ἡττᾶσθαι καὶ ταῦτα τοιούτοις δράμασι· ἢ ἀνόητοι ἦσαν οἱ τῆς ψήφου κύριοι καὶ ἀμαθεῖς καὶ πόῤῥω κρίσεως ὀρθῆς. Cf. Th. Bergk in Arist. fragm. p. 904. Welcker: Griech. Trag. p. 448 seq.

47) Aristot. Rhet. III, 15.

48) Schol. in Ran. v. 101.

49) Cf. Dan. fr. 2. Lobeck: Aglaoph. p. 82.

50) Praeclare Lessingius noster (Dramat. I, 2): Es ist nur ein Athen gewesen und wird auch nur ein Athen bleiben, wo auch bei dem Pöbel das sittliche Gefühl so fein, so zärtlich war, dass einer unlauteren Moral wegen Schauspieler und Dichter Gefahr liefen, von dem Theater herabgestürzt zu werden.

dent; quam ob causam pervulgata Athenis fuisse videtur opinio, Euripidem in tragoediis conscribendis a philosophis et imprimis a Socrate adiuvari. Itaque Teleclides ap. Diog. L. II, 18:

Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου,
ᾧ καὶ τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι Σωκράτης.

Mnesilochum in hac fabula Teleclidis Choerilam filiam, novam poetae tragici uxorem, in domum Euripidis deducturum esse inductum, probabilis Ritteri est coniectura, ita ut novum drama Euripidis dicatur Melito prior uxor ab ipso repudiata ac Cephisophonti servo concessa matrimonioque iuncta. Fabulam enim Phryges [51]) esse inscriptam, quod Cephisophon in illa partes egerit, Welckerus, vir summus, egregie coniicit, qui *τὰ φρύγανα* a Socrate supposita scite ita interpretatus est, ut Socrates pravissimis praeceptis foedum illud drama incitasse dicatur [52]). Dindorfius auctorem vitae Eurip. solum respiciens locum sic emendat:

Μνησίλοχός ἐστ' ἐκεῖνος, ὃς φρύγει τι δρᾶμα καινὸν
Εὐριπίδῃ καὶ Σωκράτης τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν,

quam lectionem praeferrem, nisi a verbis Diogenis nimis recederet. Non minus acerba sunt verba illa, quae suo iure Teleclidi tribuit Dindorf.

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς σωκρατογόμφους οὗτός ἐστι τὰς σοφάς [53]).

Simili modo Callias Euripidem philosophiae Socratis deditum ridet in *Πηδήταις* fabula:

A. *τί δὴ συ σεμνοῖ καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα;*
B. *ἔξεστι γάρ μοι· Σωκράτης γὰρ αἴτιος,*

quae verba ad Euripidem esse referenda, Diogenes testatur. In

---

51) Cf. Ritter: Didymi opusc. p. 105. Mnesilocho partes fuisse in illa fabula praeclare ostendit Welckerus. Gr. Tr. II, p. 454.

52) Welcker l. l. Mnesilochus spricht mit Stolz von einem Originaldrama seines berühmten Schwiegersohnes. Das Drama aber geht seine eigene Tochter Choerile, des Dichters Gattin, an, die mit dem jungen Cephisophon zuhielt. Höchst bitter ist der Spott, dass die Lehren des Socrates diesen Phrygern *φρύγανα* seien, in diesem Drama aber die Flamme anschüren.

53) Diog. L. II, 18. Dind. Arist. com. et fr. p. 523 seq. Reisig: praef. ad Nub. p. 8.

eandem fere sententiam abeunt verba Antiphanis, quae ex Caribus fabula eius desumpta tradidit Athen. IV, p. 134 [54]) οὐχ ὁρᾷς

ὀρχούμενον ταῖς χερσὶ τὸν βάκηλον; οὐκ αἰσχύνεται;
ὁ τὸν Ἡράκλειτον πᾶσιν ἐξηγούμενος,
ὁ τὴν Θεοδέκτου μόνος ἀνευρηκὼς τέχνην,
ὁ τὰ κεφάλαια συγγράφων Εὐριπίδῃ;

Poeta enim celeberrimus mediae comoediae ridet Socratem vel alium philosophum, cuius sapientiam Euripidis tragoediae spirent. Etiam in Musis Phrynichi Euripidem notatum fuisse constat; neque verba: ὦ καὶ κάπραινα καὶ περίπολις καὶ δρόμας (cf. Meineke l. l.) ad poesim Euripidis referre dubito. Plato vel sigmatismum Euripidis, cuius maxime quidem taedet in Medea v. 473, q. l. legitur: ἔσωσά σ' ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι, quem tamen sexcentis locis ad nauseam usque repetit, acerbe notat ἐν ταῖς ἑορταῖς:

εὖ γέ σοι γένοιθ', ὅτι
ἔσωσας ἐκ τῶν [55]) σιγμάτων τῶν Εὐριπίδου,

quod imitatur Eubulus mediae comoediae poeta:

Εὐριπίδου δ' ἔσωσα σ' ὡς ἴσασ' ὅσοι
καὶ παρθέν' εἰ σώσαιμί σ' εἴσει μοι χάριν;
καὶ τοῖς ἐμοῖσιν ἐγγελῶσι πήμασι
τὰ σίγμα συλλέξαντες ὡς αὐτὸς σοφός [56]),

quibus versibus Eubulus tam Euripidem, quam ineptos eius imitatores, qui si omnia Euripidis sigma collegerint, sibi non minus sapientes, quam Euripides sit, videantur, irridet. Nullam igitur occasionem Euripidis perstringendi poetae comici praetermittunt. Maxime poetae mediae comoediae fabulas eius et versus ad ridiculum argumentum detorquent [57]). Sic Strattis Medea, Philoc-

---

54) Cf. Meineke fragm. com. I, p. 519.

55) Porson. legit: ἡμᾶς καλῶς ἔσωσας ἐκ τῶν σιγμάτων Εὐριπίδου.

56) Ita mihi legendum esse videtur. Meineke ὡς ἴσασί σοι — καὶ παρθενεύσεις — ἕξεις μοι χάριν — ὡς αὐτοὶ σοφοί.

57) Andromedam Euripidis multi comici aequales Aristophani ridicule sunt imitati, veluti Phrynichus in Andromeda, Eupolis in Maricante, Amipsias in Conno, Plato in Cleophonte. Cf. Grauert: Mus. Rhen, II, 1, p. 59; 4, p. 499 seq.

teta, Proclo Euripidem risisse videtur [58]). Phoenissis eius, quibus Aristophanem imitatus sit, Euripidem esse lusum, Aristoteles affirmat [59]). Eodem modo Eubulus, cuius poesis maxime in poetis tragicis ridendis versata sit, prae ceteris Euripidem sibi proposuit, cuius versus vel parodia luderet, vel integros immutatosque ridendi causa fabulis suis intexeret. Sine dubio Augen, Bellerophontem, Antiopam, Medeam Euripidis valde risit [60]). Singulas etiam partes fabularum Euripidis comici rident. Sic Antiphanes, qui Aeolum quoque Euripidis vehementer perstrinxit [61]), Aristophanem sequens, prologos Euripidis praeclare notat ap. Athen. VI, p. 356:

μακάριόν γ'ἐστὶν ἡ τραγῳδία
ποίημα κατὰ πάντ', εἴ γε πρῶτον οἱ λόγοι
ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσὶν ἐγνωρισμένοι,
πρὶν καί τιν' εἰπεῖν, ὡς ὑπομνῆσαι μόνον
δεῖ τὸν ποιητήν· Οἰδίπουν γὰρ ἂν μόνον
φῶ, τἄλλα πάντ' ἴσασιν· ὁ πατὴρ Λάϊος,
μήτηρ Ἰοκάστη, θυγατέρες παῖδές τινες,
τί πείσετ' οὗτος, τί πεποίηκεν; ἂν πάλιν
εἴπῃ τις Ἀλκμέωνα καὶ τὰ παιδία,
πάντ' εὐθὺς εἴρηχ' ὅτι μανεὶς ἀπέκτονε
τὴν μητέρ', ἀγανακτῶν δ' Ἄδραστος εὐθέως
ἥξει, πάλιν τ' ἄπεισι.

Subtilem ac novam Euripidis poesim idem Antiphanes ridet ap. Athen. X, p. 446 [62]):

. . . . μὴ μέστας ἀεὶ
ἕλκωμεν ἀλλὰ καὶ λογισμός εἰς μέσον
παταξάτω τις καί τι καὶ μελίσκιον,
στρόφη λόγων παρελθέτω τις· ἡδύ τοι
ἐστὶν μεταβολὴ παντὸς ἔργου πλὴν ἑνός·
παραδίδου δ'ἑξῆς ἐμοί.

---

58) Cf. Meineke: Quaest. Scen. II, p. 64 seq.
59) Cf. Ath. IV, p. 160 b. Meineke: Qu. Sc. III, p. 16.
60) Meineke l. l. p. 20 seq. hist. crit. p. 356.
61) Cf. Grauert l. l. p. 59.
62) Meineke fr. com. l. l. p. 581.

τὸν ἀρκεσιγύιον, ὡς ἔφασκ' Εὐριπίδης·
A. Εὐριπίδης γὰρ ταῦτ' ἔφασκεν; B. ἀλλὰ τίς;
A. Φιλόξενος δήπουθεν· B. οὐδὲν διαφέρει
ὦ 'τᾶν· ἐλέγχεις μ' ἕνεκα συλλαβῆς μιᾶς.

Quod nimis studeat, ut spectatores praecepta philosophorum doceat, alii comici non minus, quam Aristophanes, rident. Sic Nicostratus Euripidem ludit:

οὐκ ἔστιν, ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ,
νὴ τὴν Ἀθηνᾶν· συντόμως γε φίλτατε
Εὐριπίδη τὸν βίον ἔθηκας εἰς στίχον.

et simili modo Antiphanes:

ὁ πρῶτος εἰπὼν· μεταβολὴ πάντων γλυκύ,
οὐ δῆθ' ὑγιαίνει δέσποτ'. ἐκ μὲν γοῦν κόπων
γλυκεῖ' ἀνάπαυσις, ἐξ ἀλλουσίας δ' ὕδωρ,
καὶ τἄλλα δὴ τοιαῦτά γ', ἂν δ' ἐκ πλουσίου
πτωχὸς γένῃ σῦ, μεταβολὴ μὲν, ἡδὺ δ' οὔ.

quibus verbis servum a comico inductum Euripidea risisse, iam Valkenaer. vidit [63]. Sententias vulgares et humiles Euripidis ludit etiam Theopompus ap. Ath. IV, 165 b:

Εὐριπίδου τἄρ' ἐστὶν οὐ κακῶς ἔχον,
τ' ἀλλότρια δειπνεῖν τὸν καλῶς εὐδαίμονα,

nisi hoc ad alium Euripidem, quem comici edacitatis causa rident, referas. Apparet igitur, poetas et veteris et mediae comoediae cum Aristophane, quod ad Euripidem attinet, consentire, quippe qui sententiam civium morum veterum tenacium defendant illisque, qui philosophiae dediti Euripidi maxime faveant, repugnent. Ipse igitur Axionicus, novissimus fere comoediae mediae poeta in Phileuripide vehementissime in omnes, qui Euripidem imitantur et admirantur, invehitur:

οὕτω γὰρ ἐπὶ τοῖς μέλεσι τοῖς Εὐριπίδου
ἄμφω νοσοῦσιν, ὥστε τἄλλ' αὐτοῖς δοκεῖν
εἶναι μέλη γιγγραντὰ καὶ κακὸν μέγα [64].

Quamquam, cum mores Atheniensium ratioque sentiendi et agendi

---

63) Cf. Diat. p. 229 seq.
64) Meineke l. l. p. 770.

in diem magis naturae tragoediarum Euripidi convenirent, Euripides non ita multo post tantopere praevaluit, ut poetae novae comoediae, veluti Menander, Philemon eum potissimum imitarentur et Philemo alicubi quendam dicentem faceret, se nullo modo, quominus, ut Euripidem apud inferos aspiceret, sibi manus inferrent, esse impediturum, dummodo inferi viverent et sentirent[65]. — Ut igitur omnes, qui maiorum moribus et pietati erant addicti, Euripidi minus favebant maximeque comici, qui omnes res novas rident, Euripidem exagitabant, sic ii, qui novas sentiendi et agendi leges amplexi erant et ab antiquorum moribus et religione sophistas aliosque philosophos secuti, erant alieni, Euripidem maxime admirabantur et illum ceteris tragicis praeferebant. Quod cum ex Ranis fabula, in qua poeta Euripidem tamquam sophistam inducens, illos qui Euripidis sapientiam admirantur, acerbe ridet, — quibus hominibus ut adversaretur, Ranas maxime conscripsit — tum e Nubibus luculentissime apparet, in qua fabula Phidippides artibus sophistarum corruptus, quid iuniores novisque praeceptis philosophorum amici de Euripide iudicent, indicat. Strepsiades enim in filium, qui Aeschyli carmina contemnit, sic invehitur v. 1371:

ὅμως δὲ τὸν θυμὸν δακὼν ἔφην, σὺ δ'ἀλλὰ τούτων
λέξον τι τῶν νεωτέρων, ἅττ' ἐστὶ τὰ σοφὰ ταῦτα;
ὁ δ'εὐθὺς ᾖσ' Εὐριπίδου ῥῆσίν τιν', ὡς ἐκίνει
ἀδελφὸς, ὠλεξίκακε, τὴν ὁμομητρίαν ἀδελφήν.
κἀγὼ οὐκέτ' ἐξηνεσχόμην, ἀλλ' εὐθὺς ἐξαράττω
πολλοῖς κακοῖς καἰσχροῖσι· κᾆτ' ἐντεῦθεν, οἷον εἰκός,
ἔπος πρὸς ἔπος ἠρειδόμεσθ'· εἶθ' οὗτος ἐπαναπηδᾷ,
κἄπειτ' ἔφλα με κἀσπόδει κἄπνιγε κἀπέτριβεν.
Φειδ. οὔκουν δικαίως, ὅστις οὐκ Εὐριπίδην ἐπαινεῖς
σοφώτατον; Στρ. σοφώτατόν γ'ἐκεῖνον, ὦ τί σ' εἴπω;
ἀλλ' αὖθις αὖ τυπτήσομαι. κ. τ. λ.

Itaque non mirabere, quod sophistae omnesque philosophi a partibus Euripidis sapientis sunt. Sapientia enim Euripidis factum est, ut Socratem inter et illum summa intercederet amicitia[66])

65) Cf. Meineke: Phil. et Men. rel. p. 106.
66) Cf. vit. Eur. Diog. L. II, 15.

et philosophorum princeps tragoedias Euripidis prae illis ceterorum tragicorum tanto in honore haberet, ut, quamvis a fabulis spectandis abstineret, Euripidis novis fabulis agendis adesset et vel in Piraeum, ubi veteres fabulae et quarum docendarum in urbe copia facta non erat, doceri solitae sunt, si tragoediae Euripidis agebantur, spectatum iret. Ael. V. H. II, 13: *Εἴ ποτε Εὐριπίδης ἠγωνίζετο καινοῖς τραγῳδοῖς, τότε γε ἀφικνεῖτο* (sc. *ὁ Σωκράτης*), *καὶ Πειραιοῖ δὲ ἀγωνιζομένου τοῦ Εὐριπίδου καὶ ἐκεῖ κατῄει.* Quae cum ita sint, Euripides etiam in Palamede Atheniensibus caedem Socratis exprobrasse dictus est verbis illis:

ἐκάνετ' ἐκάνετε τὰν πάνσοφον ὦ Δάναοι,
τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μουσᾶν
πεισθέντες ἀνδρὶ δεινῷ τε λέγειν καὶ ἀναιδεῖ.

At Palamedes Ol. 91, 1 acta est [67]. Quamobrem Valckenaer. Socratem simili modo ac Palamedem diem supremum obiturum esse, Euripidi praevisum fuisse arbitratur [68], Boeckhius versus illos ab interpolatore, cum fabula iterum doceretur, esse suppositos iudicat [69]. Quid faciendum sit, O. Jahnius, vir summus, ostendit. Verba enim illa choro sunt tribuenda, qui Palamedis sapientia et virtute illustris tristem sortem dolet [70], neque ullo modo tragicus Socratem respexit. Licet igitur Socrates et Euripides summa inter se usi sint familiaritate, tamen Socratem Euripidi, quod ad artem tragicam attinet, palmam tribuisse non satis constat. Sententias quidem Euripidis interdum etiam Socratis indignationem movisse, testis est Diogenes L. II, 33: *Εὐριπίδου δ' ἐν τῇ Αὔγῃ εἰπόντος περὶ ἀρετῆς „κράτιστον εἰκῆ ταῦτ' ἐᾶν ἀφειμένα" ἀναστὰς ἐξῆλθε φήσας, γελοῖον εἶναι, ἀνδράποδον μὲν μὴ εὑρισκόμενον ἀξιοῦν ζητεῖν, ἀρετὴν δ' οὕτως ἐᾶν ἀπολωλέναι.* Sapientiae causa Plato quoque Euripidem ceteris tragicis praeferre videtur de rep. VIII, p. 568: *ἥ τε τραγῳδία ὅλως σοφὸν δοκεῖ εἶναι καὶ ὁ Εὐριπίδης διαφέρων ἐν αὐτῇ.* Ne multa,

---

67) Cf. Ael. III, 8. Hartung. l. l. II, p. 230 seq.
68) Cf. Valck. Diat. p. 191.
69) Boeckh: de Gr. Tr. princ. p. 185.
70) Cf. O. Jahn: Palamed. p. 13, 18.

omnes, qui liberius de diis rebusque humanis sentiebant, Euripidem prae ceteris poetis carissimum [71]) habebant, inter quos etiam fuerit Thucydides, neque est mirum, quod poetam sapientissimum peregrini eruditi [72]), veluti Archelaos [73]), Macedonum rex, apud quem Euripides vita exeunte degebat, Dionysius tyrannus et qui horum similes erant, valde amaverunt [74]). Immo non ita multo post Aristophanis aetatem populus Atheniensium mutatis moribus admiratione furori simili carmina Euripidis audienda petiit, quod ne fieret, comici veteres frustra efficere conati sunt [75]). Attamen iusto facilius Grysarius, V. d. iam illo tempore, quo Ranae fabula acta sit, Euripidem a plerisque Atheniensium pro tragicorum praestantissimo habitum esse statuit; quod iam refutari potest Ranis, quae fabula in Euripidem conscripta adeo probata est, ut Aristophanes non modo praemio ornaretur, sed fabula etiam iterum doceretur. Ceterum turbam illorum, qui Euripidi favebant, magnam fuisse, probant victoriae quinque, quas poeta aetate provectus adeptus est et poetae illi novi, qui eum imitati sunt. —

De Sophoclis, ut ad hunc transeamus, virtute summa tragica aequales cum Aristophane prorsus consentiunt. Ab illo tempore, quo primum fabulas docuit, usque ad vitae finem civium gratiam sibi conciliavit [76]). Tot enim victorias adeptus est, quot nullus poeta ante eum. Namque secundum Carystium Pergamenum, gravissimum huius rei auctorem, vicies palmam tulit [77]), quem numerum virtuti tragicae Sophoclis vix respondere facile quispiam duxerit, cum Sophocles minime quidem fabulas centum tredecim

---

71) Thucydidi multi scriptores epigramma tribuunt, quod Euripidis cenotaphio inscriptum est. Cf. vitae Eur.

72) Vit. Eur. cod. Vindob. ξενοφιλώτατον κεκλῆσθαι φασὶ διὰ τὸ μάλιστα ὑπὸ ξένων φιλεῖσθαι· ὑπὸ γὰρ Ἀθηναίων φθονεῖται.

73) Ael. V. H. XIII, 4, II, 21. Luc. paras. 35. Grysar de trag. Gr. etc. p. 12, 16.

74) Cf. Ael. XIII, 18.

75) Athen. I, p. 19 E. Grysar. l. l. p. 17 seq. Hartung. l. l. II, p. 569 seq.

76) Cf. Schultz: vit. Soph. p. 33 seq.

77) Diod. (XIII, 103) Sophocli victorias XVIII, Suidas XXIV tribuit. Schoell vit. Soph. p. 74 seq.

conscripserit teste Aristophane Byzantio [78]), nisi respiciatur, poetas quaternas una fabulas edere solitos esse, quod a Sophocle quoque esse factum mihi persuasum est, quoniam tetralogiae etiam multo post Sophoclem sunt actae, uti illa, quae significatur in inscriptione ap. Boeckh. T. I, p. 354. Sed Sophoclis fabulae, quae una sunt actae, argumento non cohaerebant. Quamobrem Suidas s. *Σοφοκλῆς*: *οὗτος ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς* [79]) *δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν*. Quod si consideramus, Athenienses recte de praestantia fabularum Sophoclis iudicasse apparet. Adde, quod, quamvis non raro secundam palmam tulerit, nunquam tertius est renunciatus [80]). Fabulis eius cives tantopere sunt delectati, ut virtute illarum commoti legationes et magistratus ad illum deferrent [81]) eumque Antigona docta cum Pericle et Thucydide ducem exercitus, qui Samiis bellum inferret, crearent, ut Ion ap. Athen. XIII, p. 603 seq. testatur [82]). Tali amore cives poetam summum ad mortem usque amplexi [83]) sunt et mortuum tragicum fere ad deos sustulerunt. Poetae comici cum populi iudicio conspirantes, quotiescunque Sophoclis mentionem iniiciunt, tragicum summis afficiunt laudibus. Sophoclem autem a nullo comico esse irrisum, testis est auctor vit. Soph. Atqui non est dubium, quin poetae comici illi cognomen apis Atticae (*Ἀτθίδος μελίσσης*) dederint [84]). Quae comici et populus de Sophocle iudicaverint, egregie exponit Phrynichus in Musis, in qua fabula Sophoclem non minore laude, quam Aristophanes, cumulat [85]). De Sophocle enim extant suavissimi illi

---

78) Ex fabulis enim CXXX, quae ei assignatae sunt, Aristophanes Byz. septemdecim suppositas esse iudicavit. Cf. Auct. vit.

79) Cf. Welcker: Aeschyl. Tril. p. 508 seq.

80) Auct. vit.

81) Auct. vit.

82) Quod frustra impugnat Ritterus Didym. opusc. p. 60 seq. Mus. Rhen. IX. Cf. Boeckh Soph. Antig. p. 121. Schoell. l. l. p. 157 seq.

83) Cf. Auct. vit. Schultz l. l. p. 160 seq.

84) Cf. Suid. s. *Σοφοκλῆς*. Hesych. s. v. *Σοφ.* schol. ad Aiac. v. 1188 (Lob) ad Vesp. v. 448. Hermesianax ap. Athen. XIII, p. 598. Phot. bibl. cod. 158.

85) Meinek. Quaest. Scen. II, p. 10 seq. argum. Oed. Col.

versus, quibus illum ob felicitatem, qua vivus usus sit et ob praestantiam artis tragicae praedicat:

Μάκαρ Σοφοκλέης, ὃς πολὺν χρόνον βιοὺς
ἀπέθανεν, εὐδαίμων ἀνὴρ καὶ δέξιος,
πολλὰς ποιήσας καὶ καλὰς τραγῳδίας
καλῶς ἐτελεύτησ' οὐδὲν ὑπομείνας κακόν.

Poesim Sophoclis illis quoque verbis laudat, quae Diogenes memoriae prodidit, qui Philemonem imprimis *φιλοσοφόκλη* fuisse perhibet idque maxime in illis locis, ubi secundum comicum canis quidam Molossicus in componendis carminibus eum adiuvisse videretur et secundum Phrynichum neque mustum esset neque vinum mixtum, sed Pramnium, nobilissimum vini genus, „*Οὐ γλύξις οὐδ' ὑπόχυτος ἀλλὰ Πράμνιος*,“ quae verba ex Musis esse deprompta Meinekio duce affirmaverim [86]. Neque philosophi et illi Athenienses, qui in philosophiam incumbentes a pristina disciplina declinaverant, Sophocli laudem denegaverunt. Apud Xenophontem enim Aristodemus Parvus a Socrate interrogatus, quosnam homines propter sapientiam maxime admiraretur, respondet: *ἐπὶ μὲν τοίνυν ἐπῶν ποιήσει Ὅμηρον ἔγωγε μάλιστα τεθαύμακα, ἐπὶ δὲ διθυράμβῳ Μελανιππίδην, ἐπὶ δὲ τραγῳδίᾳ Σοφοκλέα κ. τ. λ* [87]. Neque incredibile est, Aristodemum, qui est ex numero illorum, qui sapientiam maxime secuntur, veram Socratis ipsius de tragicis sententiam dicere. Ipse Plato, cui simultatem cum Sophocle fuisse, Athenaeus ementitus est [88], quippe qui, cum Sophocles mortuus est, adolescens viginti trium annorum fuerit [89], Sophoclis virtutem tragicam aeque laudat [90], atque alii Socratici, veluti Simmias [91]. Jam vides, quin omnes Athenienses summa Sophoclis admiratione fuerint affecti, dubium non esse. —

---

86) Meineke l. l.

87) Cf. Xen. Mem. I, 4, 3.

88) Athen. XI, p. 507 d.

89) Cf. Boeckh ad Plat. leg. p. 182. De Gr. tr. princ. p. 123.

90) Cf. Phaedr. p. 268E. Schultz l. l. p. 170.

91) Cf. Anthol. Pal. I, 168, Schultz l. l. p. 185 seq.

Cum igitur omnes Athenienses de virtute Sophoclis consentirent, suo iure comicus eum nisi obiter non commemorat. Sed quoniam Aeschylum eiusque poesim illi, qui novam disciplinam philosophorum sequebantur, parum intellegebant, ne dicam, contemnebant, Euripidis autem tragicam artem admiratione amplectebantur summa, ita ut fabulae Euripideae magis magisque in delicias hominum abirent, poeta comicus egregie in scenam inducit Euripidem et Aeschylum inter se certantes, quorum illum auctorem omnium malorum, quae tum moribus civium mutatis et philosophorum praeceptis pervulgatis in rempublicam invasissent, faceret, Aeschylum contra imaginem veterum morum proponeret. Comicus enim non solum Euripidem, sed etiam omnes, qui eius tragoedias, cum novas agendi et sentiendi normas susciperent, illis Aeschyli praeferebant, ridere sibi proposuit. Suo igitur iure comicus ea, propter quae aequales Aeschylum vituperabant, vel extenuat vel ad extollendam Aeschyli virtutem refert, Euripidis autem vitia amplificat.

Corrige:

p. 4 l. 17 Alcmaeone. – p. 5 l. 11 ἕτερ'. — p. 6 l. 18 λάβῃ. — p. 8 l. 13 Nubibus. — p. 11 l. 15 affici. – p. 12 l. 18 spondeum. — p. 13 l. 7 ὀρθοεπείᾳ. – p. 21 l. 21 nimium. – p. 22 l. 7 δεσπότης. — p. 29 l. 12 potissimum. — p. 39 l. 31 θοἰμάτιον. — p. 47 l. 1 figurisque. — p. 49 l. 27 dele „comicus." — p. 60 l. 23 detur. – p. 5. l. 22 conspiraret.